Fr. LUDOVICI

LEGIONENSIS, AUGUSTINIANI,

DOCTORIS THEOLOGI

SALMANTICENSIS,

ORATIONES TRES

EX CODICE MANUSCRIPTO.

MATRITI:
TYPIS BENEDICTI CANO.
MDCCXCCII.

S. ALDHELMI

LEODIENSIS, AUGUSTINIANI,

DOCTORIS THEOLOGI

ORATIONES TRES

EX CODICE MANUSCRIPTO.

MATRITI:

TYPIS BENEDICTI CANO.

MDCCXCVII.

THEMA.

Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore cibum?

Matth. *cap.* 24.

Ego, Patres admodum reverendi, si mea optio fuisset, vel in hunc locum, quamvis sit ornatissimus, numquam ascenderem, vel si dicendum mihi necessario esset, id quovis alio potius, quam hoc tempore facerem. Alterum enim, ut in perpetuum, silere vellem, ea res facit, quod hæc, quæ comitiis Provincialibus tertio quoque anno habetur oratio, quam majores nostri salutarem Provinciæ esse voluerunt, partim auditorum errore, qui quæ latinè dicuntur, ea speciose magis quam verè dici putant: partim concionatorum culpa, qui in publica causa voluntati paucorum inserviunt, ad vanam ostentationem est conversa: alterius autem, ut alio potius dicere quam hoc tempore malem, ea causa est, quod in tanta totius Provinciæ perturbatione, tantoque discrimine, & nihil de communibus miseriis dicere homini ingenuo turpe est, & id sine multorum gravi offensione facere, est valde difficile. Sed quoniam mihi & dicendum, est, & hoc potissimum tempore dicendum, & id ut quam recte fiat, in mea, atque etiam in vestra voluntate est positum. Ego quod ad me attinet, ut orationem meam non ad privatam gratiam, sed ad publica commoda dirigam, ut nihil aut amore celem, aut metu reticeam, utque ea omnia ita plane, & citra fucum faciam, ut vobis nimis quam

verè & ex animo dicta fuisse videantur sedulo, quantum in me erit, præstabo. Vos quod vestrum est simplici veritati, & orationis meæ necessariis aculeis facile veniam concedetis, si vel ejus, quod me deceat, vel illius, quod ista Provinciæ tempora exposcant; rationem habere velitis. Neque enim sic desipio, ut si mihi utrumvis esset liberum, non malem orationem meam hilarem esse, & celebrandis hominibus gratiosam, & siquid in eo genere possem, eruditam, quam tristem, & severam, & aut criminum notatione odiosam, aut comploratione miseriarum lugubrem, ut non potius laudem cum benevolentia, quam vituperationem cum offensione diligerem; sed non licet, & me communes miseriæ ad querelas & ad lacrymas vocant, & Prophetæ illa divina vox mentem meam, animumque conturbat, væ! qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Non possum laudare nefanda, non in communi metu esse securus, non possum siccis oculis funus matris meæ aspicere. Pastores, qui impetum luporum propulsare debent, gregem dominicum in fugam convertunt, & ego vocem continere potero? Oves jam non sunt oves, sed canes potius culpa Pastorum in rabiem conversi in suos custodes desæviunt, & ego causam tanti mali non admirabor? Prisca illa sanctitas perit; instituta majorum abolita sunt; leges omnes, & jura ceciderunt; ipsa denique res nostra publica tot malis labefactata, tot confossa vulneribus vix spirat, & mihi non licebit ejus interitum deplorare? Etenim si eos, qui privata incommoda lugent, non solum libenter audire, sed re etiam & verbis confovere, & sublevare solemus: qui de communibus miseriis conqueratur, is non modo non aspernandus est, sed omnium potius favore, & gratia prosequendus; & siquis suas miserias ulciscitur, nemo est qui non ignoscat, mihi, qui publicæ utilitatis hostes insector,

cur

cur quisquam probris succenseat? Quod siqui eorum, qui ante nos dixerunt, aliam rationem sunt secuti, illorum vel felicitas, vel voluntas meæ libertati non debent officere; nam si nihil habuerunt quod reprehenderent, felicitati eorum gratulandum est; sin, cum multa ejusmodi essent, quæ orationis veritatem desiderarent, ea à se dici noluerunt, est ignoscendum timori; mihi autem, & publica calamitas eam felicitatem ademit, & ut timori non cederem, cum natura mea, tum vero ratio ipsa animum addidit. Sic enim affectus sum, sic à puero institutus, ut aliorum vitæ censor esse nulla ratione velim, sed si id sit necesse à vero depelli nullo timore possim. His accedit, quod hæc mea oratio, non tam judicii mei explicatio futura est, quam interpretatio eorum quæ proposui, divinorum verborum; quorum acies, quoniam à me retundi non potest, vobis molesta certe, & incisa esse non debet; mihi quidem ut irascamini ratio non est, tantum enim sum futurus interpres. Quapropter, siqui fuerint, quos nostra ofendat oratio, quos ego defuturos non arbitror, quorumque obtrectationes, & occulta odia, ut non appeto, ita non magnopere pertimesco, ergo siqui fuerint, hi primum intelligant meam hanc vocem, non tam meam, quam divinæ veritatis ac opt. & max. servatoris nostri Christi esse, seque non tam meis verbis, quam sua ipsorum teste conscientia traduci; deinde videant, vel quæ à me commemorari sine offensa nequeunt, ea ab se fieri sine injuria, & sine gravi scelere nulla ratione potuisse; postremo sciant non medici culpam esse, quod doleas, dum curaris, sed tuam potius qui tuo arbitrio & voluntate in morbum incideris. Sed hæc quoniam cœlestem opem, auxiliumque desiderant, ipsam numinis matrem, ut nobis benignè faveat, comprecemur.

Ave Maria.

Chris-

Christus Dominus, quoniam ad servandos solum, & cœlesti quadam doctrina erudiendos homines è cœlo ad nos advenerat, quoniamque se totum nostris usibus & utilitatibus acommodaverat, quemadmodum quæcumque nobis erant cognitu necessaria, se teneri professus est eaque nos docuit, ita eorum quorum cognitio aut nihil profutura, aut etiam nocitura nobis esset, inscium se & ignarum esse videri voluit. Itaque cum discipulis suis & populo qui aderat, Regni judeorum excidium, & Regiæ Jerosolymorum urbis, ac templi augustissimi eversionem, quæ fatalem mundi causam ad vivum exprimebat, divina mente prædixisset: interrogatus à suis de tempore, quo illa potissimum eventura essent, tempus quidem certum & definitum, tamquam si illud nesciret, nullum constituit; sed multis iisque horrendis prodigiis, quæ orbis ruinam antecessura essent, perpetua & copiosa oratione expositis, tantum eos, qui se audiebant, quorumque animi earum rerum commemoratione metu consternabantur, ut vigilarent etiam atque etiam admonuit. Est enim hoc divini in nobis beneficii, quod nostræ vitæ terminus sit in incerto, cum hoc ipsum moriendum nobis esse sit certissimum, ut cujus nullum præfixum tempus habuerimus, id omni hora instare putaremus. Qua in re cum diutius insisteret, & inducta similitudine ejus patris familias, qui si sciret qua hora fur veniret, vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam, illoque exemplo ad similem eamdemque curam nos acrius adhortaretur, interpellavit eum Petrus, ut Lucas refert, quæsivitque utrum ad promiscuum vulgus tantum, an etiam ad Apostolos, hoc est, ad se, sociosque suos ea admonitio pertineret? Cui Dominus his, quæ á me proposita sunt verbis respondit. *Quis putas*, inquit *est fidelis servus*, *& prudens*

dens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Hoc est, si privatis hominibus, & his qui tantum sui ipsorum curam gerunt, præcipio ut attendant & vigilent, quid me vobis, quos familiæ meæ præfeci, & publicæ utilitatis fideles prudentesque custodes esse volui, d.cturum aut præcepturum putas? Quodve fidelis aut prudentis dispensatoris officium esse existimas, si hoc non est, qui fidem & prudentiam suam domino approbare volet? quique exploratum habeat officii sibi delegati rationem se esse redditurum, cum tu otiaturum, aut in utraque aure dormiturum, & non potius summa solicitudine & cura domini adventum in singula temporis momenta spectaturum putas? Quibus verbis Christus simul præsenti discipulorum suorum quæstioni satisfecit, simul etiam vobis, hoc est, his, qui se in posterum sectarentur, omnibus numeris perfectam, & suis coloribus graphice depictam christiani pastoris imaginem exemplarque exhibuit, in quod & qui præsunt documenta capere, & qui parent certis & indubitatis argumentis, justos & probos prælatos ab improbis & injustis possent distinguere. Primum enim fidelis sit oportet, deinde prudens, tum etiam à domino constitutus, atque in id constitutus ut non familiæ cuivis, ved dominicæ cibum opportuno tempore distribuat, postremo vero, quod hæc omnia continet, de ratione reddenda semper solicitus, semper vigil, semper paratus: quibus in rebus explicandis, quoniam ad præsentem usum, & ad id, de quo agimus, sunt aptissima, omnis nostra oratio versabitur. *Quis putas*, inquit, *est fidelis servus, & prudens quem constituit dominus*, &c. Mira quædam ratio atque contextus est horum verborum, ut nihil in his sit, quod non suo loco magno quodam & divino consilio sit collocatum, quæ enim natura priora sunt, priori, quæ posteriora, posteriori loco sunt

po-

posita, ita ut, quod summa virtus orationis est, naturam ipsam imitatur oratio: prudentia fide innititur, hæc enim, quem ad finem publica cura referenda, illa qua ratione referenda sit docet; utriusque autem omnis industria in dominica familia pascenda consumitur: ergo quod ex his erat prius, priori loco Christus suum dispensatorem fidelem & prudentem esse voluit, posteriori vero, quo omnia ista referuntur, usum earum rerum & gubernandi rationem exposuit; & quoniam neque Christus suæ familiæ nisi fide & prudentia præstantes homines præfecit, neque qui non sit á Christo præfectus, his recte præesse ulla ratione potest, quod re inter utrumque erat medium, nempe ut á domino sit constitutum, medio id ab extremis loco posuit. In quo non solum omnes imperatorias virtutes, omnia præpositorum omnium ornamenta perfectè explicavit, sed & qui gradus illorum essent, quæ initia, qui progresus, quæ consummationes ordine ipso verborum & orationis structura mire expressit: dispensatorem ecclesiarum instituere & formare aggressus, ab infimis exorsus paulatim evexit ad summum. Ad fidelem enim seu potius fidelitatem, prudentiam adjunxit, & his ceu culmen jus imperandi á Deo concessum addidit, istis namque tribus rebus, fide, prudentia, legitima potestate, civilem virum absolvi, non modo nostri sed prisci illi, & summi Philosophi tradiderunt. Plato enim, ut cæteros taceam, omnem imperandi rationem ad tria numina referebat, nempe ad Solem, Minervam atque Jovem; nam quoniam Sol infussa rebus omnibus huc veram & certam rerum fidem cunctis facit, & Minerva & litteratorum & studiorum præses sapientiam significat: Jupiter autem & deorum summus & planetarum longe optimus summæ potestatis est symbolum, cum Plato ad eos Deos status rerum publicarum retulit, & sub illorum præsidio & tutela urbium

bium Præfectos & Magistratus esse voluit, figura docendi Pythagorica plane, & his verborum involueris idem quod nos docemus, affirmavit, qui aliis præsit, eum summa cum fide, tum prudentia, tum etiam potestate præditum esse oportere. Nam ut ea quæ ad communes utilitates spectant, noris prudentia, ut velis fides, potestas autem ut possis facit. Id quod etiam virga illa vigilanti, quæ visa est à Jeremia Propheta compendiosa quadam, & divina ratione significatur, eo enim symbolo virgæ scilicet oculatæ & sceptri super quod oculus esset in prisca illa & recondita ratione litterarum, quas hierogliphicas appellant, ab Ægyptiis sacerdotibus ad præstantissimas quascumque res excogitandas, excogitata, tota regia facultas & imperatorium munus exprimebatur. Id enim quod vigilare, et oculata esse virga dicitur, ad solertem rerum scientiam vigilemque prudentiam, quibus summus civilis homo ornatus esse debet, est referendum. Virgæ autem & sceptri nomine quoniam & rectitudinem habet, & est quasi insigne regum potestatis in sacris literis, & summa fidei necessitudo, & summa potestas declaratur. Sic enim de Christi Imperio ad ejus fidelem imperatorem, & potentiæ immensum robur declarandum dicitur quod sit & rectitudinis & virtutis virga. Virga, inquit, regius vates, rectitudinis, virga regni tui: quasi dicas, fidelissima: & rursus: virgam virtutis suæ emittet dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum suorum: virtutis, inquit, id est, roboris & potentiæ. Quid? cum Christus Ecclesiarum præfectos, & lucem nominat, & terræ salem esse dicit, & munitissimæ ac scelsiori loco positæ civitati similes facit, nonne perspicuum est, illum, quas nunc planis verbis exposui Prælatorum virtutes, & easdem illa rerum similitudine obscuriori ratione declarare voluisse? In luce enim fides est, in sale prudentia, civi-

tas autem edito loco sita, quid nisi vim & potentiam legitima potestate innixam, & omni ex parte firmam, atque munitam significat? Verum age, quam unumquodque istorum vim habeat, sigillatim explicemus.

Fidelis servus: hoc est hujus quasi amplissimi edificii primum fundamentum, nempe ut is, qui aliis imperaturus sit, in primis sit fidelis, cui voci quamquam in divinis scripturis varius illius est usus, hoc loco ea vis subjecta est, quæ in delegato munere ex domini voluntate obeundo, nulla privatæ utilitatis habita ratione versatur. Qua in re illud principio diligenter est advertendum, eum qui dominici gregis custos futurus sit, jam in ipso statim limine & orationis initio à Christo admoneri, ut intelligat gregem quem pascit, non esse suum sed alterius, & idcirco gubernandi rationem non ad propria commoda referendam à Prælato esse, sed se totum potius ac suas rationes omnes ad eorum, quibus præest, utilitates accomodandas. Nam si in eo munere tua tantum & privata res ageretur, nullum esset munus & officium ejus fidei, quæ tibi primo loco præcipitur. Non enim fieri potest, ut propriis in rebus administrandis infidelis ullus sit. Ergo, quoniam Prælatorum prima omnium virtus fides est, oportet primo etiam intelligant, se quandiu in ejus muneris functione versantur, tandiu non sibi, sed aliis vivere: neque in eo id quæri, ut ipsi, aut altiori dignitatis gradu collocati, & honoris specie præstantes, turgidi, & elati Tyrannos & Satrapas quosdam imitentur, aut in postrema aliorum inopia omnibus bonis referti, & delitiis affluentes Sardanapali, aut siquod est deterius ac magis infame, mollitudinis, luxus, & postremæ nequitiæ nomen vivant. Non inquam id agi, ut subditis hominibus omnium rerum penuria presis, hi qui in Magistratu sunt, omnibus rebus abundent; ut

illis

illis fame deficientibus, hi varia ciborum copia sint refecti: illis se minudo corpore algores & æstus tolerantibus, hi multiplici vestimentorum genere copiosi, aliis æstate, aliis hieme utantur; ut illis in morbo, quo vitam tucantur, non habentibus, hi in suspicione morbi regali sumptu se alant: sed potius ut ea caritate gregem sibi commissum complectantur, tanto studio & solicitudine in eam curam incumbant, ut, si ita publicæ utilitatis respectus & dominicæ suæ curæ traditorum compendia poscant, eis rebus propriæ non solum quietis aut valetudinis, sed vitæ etiam dispendiis prospiciant, utque in toto isto munere, & universa illius administrandi ratione non quid sibi utilissimum & suavissimum, sed quid domino illi, cujus rem gerunt, gratissimum sit futurum attendant. Id enim proprie est esse fidelem. Quæ res à nobis perfide, & perniciose neglecta magnum detrimentum nostris rebus invexit. Ego enim sic judico, quod Monachorum institutum tantum ab illa antiqua pietate degeneraverit, quod tot ærumnis & calamitatibus nostra Provincia oppresa laboret: quod bonorum ac priscorum morum tantam jacturam fecerit, id potissimum nostra perfidia accidisse. Hoc est propterea quod hi, qui rerum gubernaculis sunt admoti, sua potius quam quæ domini sunt, quærunt: & veræ pietatis prætextu laudem humanam & sanctitatis opinionem apud vulgus sectantur, idcirco Provinciæ nostræ statum labefactatum, atque convulsum fuisse. Nam cum Monachismi scopus, & totius christianitatis summa, vera animi pietate & virtute contineatur, nos judicii perversione obcæcati, & immani ambitione & perfidia incredibili inducti pupim & proam totius publici boni non in virtute, sed in umbra quadam & inani specie virtutis, quæ tamen opinionem & applausum popularem habeat, collocamus. Ex quo tota, tota religionis pernicies derivatur. Fine enim re-

rum agendarum, quasi publico totius boni fonte vitiato, ad omnes reipublicæ partes id virus, ut pertineat, necesse est. Hac enim de causa quæcumque apud nos vere pia erant, sed minus illa in vulgus, vel speciosa vel vendibilia despecta sunt: ea autem sola retenta, quæ quoniam in oculos hominum magnifica quadam specie incurrebant, admirationi esse poterant rudi vulgo: et pro vera & solida virtute fallax quoddam simulacrum & inanem umbram illius sumus complexi: viguit olim apud majores nostros, qua Christum nomen continetur, vera caritas; nunc illius expressam formam nullam habemus, vocem & sonum habemus; illi re & veritate erant, nos vero solo nomine & specie fratres; illi animorum & voluntatum omnium summam communionem habebant, nobis quæ oculis subjecta sunt, domus tantum est & vestis communis: colebatur olim divinum numen, secreta spiritus harmonia & divino omnium virtutum concentu, nunc varie resonanti cantu & externi cultus plausibili ratione celebratur, quod non improbo, sed quantum ab illa prisca pietate deciderimus, ostendo: illi cælibes & casti erant; nos cingulo & septis cœnobiorum idem videri volumus. Pauperta-tem illam spiritus tot modis ab illis cultam, cucullo & pulla veste & deraso capite ementimur; denique veritati simulatio, rebus verba, virtuti hypocrisis, religioni superstitio, propter eorum, qui præsunt, perfidiam succesit. Nam quæ alia hujus tantæ dissimulationis, & mutationis causa esse potest? Nam si palam & aperte virtuti & bonis moribus esset à nobis inductum bellum, si semel pietatis jugum excusissemus, imbecillitate id naturæ, & humani ingenii ad vitia promptitudine accidisse affirmarem. Nunc vero cum ita à nobis virtus deserta & profligata sit, ut illius species & opinio in vulgus omni ratione sit quæsita, & non levior à nobis opera in ostendenda vir-

tute quam illis divinis viris in adsequenda ponatur; neque nobis istæ rerum umbræ minus multis laboribus quam illis ipsa veritas constent, imbecillos nos esse, dicere non possum; infidos vero, vel perfidos potius, & fidei á vobis Christo datæ nefarios proditores dicere possum. Illi multo & longo labore, id quod unum quærebant, ut vere pii essent, adsecuti sunt: nos totidem, aut etiam pluribus, & gravioribus vigiliis id, quod unicè affectamus, & quod nobis tanquam vitæ scopum & totius fœlicitatis summam proponimus, ut judiciis hominum ementitæ virtutis præstigiis illudamus & imponamus, strenue perficimus. Ergo quod majoribus nostris dissimiles, quod degeneres simus, quod illi frugem, nos quisquilias; illi veram & piam pietatem, nos ejusdem tamquam demortuam imaginem & simulacrum teneamus; denique quod illi vere christiani, nos vero larvæ christianorum simus, ea præcipua, & sola causa est, quod fidem quam illi domino præstiterunt, nos prodimus, & in Christi causa, non Christi voluntati, sed laudi humanæ potius & opinionibus hominum, hoc est, nostris privatis commodis & voluptatibus inservimus. Hinc etiam illa, quæ & latius & majorem quam quisquam existimare posset, pestem affert sententiarum & judiciorum summa perversio, ortum & quasi originem habet, ut jam prava & recta, utilia & inutilia, non re ipsa & veritate rationis, sed opinionibus vulgi & specie externa, & quasi de summa cute ponderamus.

Siquis in veste aliquid commutavit, plagis cæditur: si innocentiæ christianæ & candoris stolam rescidit, id contemnitur: si silentium solvis, crimen est; si tota die tumultuaris, & affectum elatioribus vocibus perstrepis, leve habetur; quod in choro dum canis, aliquid offendisti, longa hebdomadæ inedia luitur. Quod caritatis concentum vitasti, quod virulenta

lin-

lingua & confictis mendaciis famam fratris multo majori dissonantia læsisti, id ludus est & jocus. Erectior vultus, & parum submissa corporis inclinatio supplicium & pœnam habet, elata vero & ambitione corrupta mens, quæque nihil nisi honores nisi præfecturas & primos gradus spirat & ambit, non habet. Qui virtute quidem dives est, sed nulla tamen populo vendibili arte pollet, despectus, & postremo loco positus tamquam nullum ad usum utilis jacet. Qui eloquentia autem, aut literarum ornamentis præstat (sed quid eloquentiam aut literas loquor?) qui voce ostentatoria sonat, qui litigandi rationes & artificium callet, qui per omnia fora & compita omnia stipes corrogandi causa volitat, qui omnes vias; omnes aditus, omnes opportunitates pecuniæ aliciendæ pulchræ novit, qui arte & ingenio omnes publicanos & nummularios vincit, qui amisa fronte & impudentia armatus, nullius personæ congressum exhorret, non magnatum, non regum, non etiam infirmorum & è media vulgi fæce hominum, Olitores, Caupones, Lanios omnes appellat; omnibus oportune, importune adest, instat, opprimit: respirare non sinit, & denique enecat, neque repulsa ulla unquam neque convitiis fatigatus: is igitur homo, tametsi nullam veræ & christianæ pietatis umbram & vestigium habeat, tamen & perutilis Provinciæ esse dicitur, & communis boni custos, parens, & amplificator habetur. In eum honores & præmia conferuntur, ei denique gratia, applausus, dignitas, licentia, & omnium rerum impunitas, est proposita. Itaque virtus, nisi aliqua istarum artium quæ sunt in pretio, munita sit; nisi eam vendites, hoc est, nisi fucata & insincera sit, negligitur, atque contemnitur: vitia vero ex utilitatis compendiosa specie convelata, non dissimulantur modo, sed quod nostræ perfidiæ insigne crimen est, etiam foventur. Finguntur ista à

me

me fortasse? Utinam fingerentur ; & in me ista mendacii culpa potius , quam in vobis perfidiæ gravior labes adhæreret. Sed si palam est , si negari non potest eam totius vitæ nostræ rationem esse , ut ad imposturam & fucum faciendum , ad decipiendos homines specie virtutis omnia videantur de industria comparata atque conficta , si in hunc finem cuncta referimus , qui possum mendax haberi? Nam si fideles estis , cur quæ diligit & cara habet dominus , in nullo ; quæ admiratur mundus , in summo pretio habetis? Si quæ domini sunt & non potius vestra quæritis ; cur apud vos nomen plus & opinio virtutis valet , quam ipsa virtus? Cur modesto & prudenti nullus ; vafro , mendaci , perfido , & criminum non solum verorum proditori sed confictori fálsorum, summus à vobis honos habetur? Cur adulationi , cur malis artibus , cur fraudi data præmia sunt : fidei vero , & pudori , & ingenuitati , ac celsitudini animi, bonis denique operibus universis , exilium & supplicia constituta? Hic ego (quid de me loquar?) qui propter fidem , propter fraternitatem , & christianam charitatem in re miseri & calamitosi hominis à me exhibitas ; quem si desererem non modo christianus, sed ne homo quidem essem : toto biennio variis rationibus & omni genere molestiarum hostili odio fui impetitus , impugnatus , vexatus? Ita nihil de me, qui totam illam vexationem , atque molestiam , vel quod aliis meis peccatis debita fuerint , patienter fero , vel quod propter fidem & officium sint illata, ad laudem meam pertinere puto. Nihil ergo de me dicam : de aliis dicerem , nisi tempus mihi defuturum putarem. Nam quot homines proferre possem omnibus virtutum ornamentis cumulatos immerito , & sine causa neglectos? Quot contra , per fraudem & per scelus rerum gubernaculis à vobis admotos? Quot impostores , quot Gnatones , quot Nebulones præmiis

coronatos? Quot alios, quia latebant, quia innocentes erant, quia præclare de vobis meriti erant, quia optime de republica sentiebant, quia christi honori ingenue & plane christiane studebant, vexatos, pœnis affectos, contumeliis deturpatos, ignominia etiam & perpetua infamia notatos? Quid illud, quod proximo superiore anno accidit, nonne satis declaravit nos istam fidem, de qua tam multa nunc disputo, jam olim prodidisse; & plane infideles servos esse? Afferebantur uno prope, eodemque tempore (audite præcor, audite Provinciæ nostræ vulnera, & siquis in vobis humanitatis sensus est, si qua pietas, communem casum & interitum reipublicæ nostræ deflete). Afferebantur itaque ex omnibus fere Provinciæ nostræ partibus, novi & ante id tempus non auditi Nuntii, & literæ, quæ dicerent, quosdam ex nostris voti et religionis oblitos, se infugam dedisse; quosdam gladiatoria impudentia inimicos media luce infesto telo oppetivisse, vulneribusque affecisse; quosdam adversus magistratos suos conspirasse; quosdam incredibili & vesano furore sævas eisdem & cruentas manus non semel aut uno in loco intulisse, inauditas libidines, falsas hominum delationes, confectiones criminum, odia, dissidia, bella, totam denique Provinciam scelere ardere, & conflagrare audiebamus. Et quam igitur in tantis malis, non dico medicinam attulistis, sed significationem aut sensum doloris dedistis? Num convenistis? Num ruinæ vos opposuistis? Num saltem manum labenti reipublicæ porrexistis? Ita ego cum sæpe alias, tum maxime illo tempore Provinciæ nostræ sortem, conditionemque sum miseratus. Fateor enim vobis, sic mecum agebam, & hujusmodi sermonem tacitus frequenter usurpavi: Proh Deum, atque hominum fidem! Quæ ista est nostrorum hominum mens? quæ sententia? quod consilium? quæ est ista in summis Provinciæ pe-

ri-

riculis tanta vel securitas, vel supinitas potius, atque dissolutio? Ista si levia sunt contemni, si usitata negligi, si pauca dissimulari possunt; sed, si atrocissima sunt, si novo & in audito exemplo commissa, si tot ac tanta, ut neque in multis Provinciis uno anno, neque in una Provincia multis annis plura unquam acciderint, si denique sunt ejusmodi, ut cum ipsa persese & sua sponte sint gravissima, tum gravioris pestis, quæ in ipsis Provinciæ visceribus hæreat, & instantem cladem minetur, sint signa certissima, quid stamus? quid cessamus? Cur non potius omnes quicumque isto nomine censemur, cur non saltem omnes boni in rei nostræ publicæ extremo periculo decurrimus, convenimus, sin minus ad opem ferendam, saltem ut illius acerbum funus devotis lacrymis & comploratione prosequamur? Cur, quod in levissimis rebus sæpe fit, ut conventus definitorum cogatur, id in tanto rerum motu, & in his procellis & turbida tempestate Provinciæ neglegitur? Cur non initur ratio aliqua juvandi reipublicæ? Cur saltem tantorum malorum fontes non disquiruntur, aperiuntur, excinduntur? An hæc ita subito exhorta sunt, ut nullum habeant in peccatis nostris fundamentum? An nullis radicibus tanta flagitiorum pullulatio nititur? Tot vomicæ tam graves, tam purulentæ simul uno tempore erumperent, nisi multo jam tempore ingens aliqua vis veneni Provinciæ venis concepta esset? Ergo si vel cœli serenitas nimia, vel largior pluvia frugibus excidium minatur, supplicationibus & prece solemni numen præcamur, & cum tot graves casus tam atrocia flagitia, graviorem reipublicæ nostræ cladem protendant, otiosi ac securi simus? Si aut febris invassit, aut frigore tentatum corpus condoluit, nulla medicorum auxilia non requirimus; & cum summis & lethalibus morbis res communis laboret, nihil opis adferemus, nullam faciemus medicinam? Quid

igitur? nihil ne illo tempore agebatis? Imo vero (invitus dico, sed tamen reticere non possum) in media illa nocte, & cæco errore Provinciæ, in nescio qua de novo erigenda domo, & quasi deducenda colonia vigilabatis. O turpem notam temporis nostri! O communis salutis studium præposterum! O perversam diligentiam! Rei totius publicæ summa in postremum discrimen & periculum vocabatur, & potuit esse vobis aliqua cura potior, quæ vestros animos occuparet? Universus status Provinciæ nostris flagitiis convulsus, ab ipso culmine ruebat, & vos si non honesti stidium & communis Provinciæ amor, saltem metus ne communi ruina opprimeremini, ab illius rei perverso studio revocare non potuit? Dignitatem ne, fortunas, salutem denique nostram, quæ illis miseris casibus afflictæ tenui filo pendebant, cæmento, & lapidibus, & novis constructionibus firmari & stabiliri à vobis posse arbitramini! O iterum studium præposterum! O certe perfidiam summam! Nam quid aliud est, quod vos fuisse dicam? negligentes? At illo eodem tempore aliis in rebus valde vigilantes fuistis. An vero cœcos, & ignaros rerum? Sed res erat, non solum certa, sed in sermone omnium, & in occulis possita? Non, igitur negligentes, non ignari fuistis, quod utinam fuissetis. Levius enim esset ignorare, quam dissimulare; nihil agere, quam aliud agere: sed quod unicum restat, infideles domino fuistis, hoc est, non quæ Provinciæ salutaria, non quæ Christo accepta, sed quæ vobis, quæ vestris sensibus, & judiciis vestris infidis, & pravis, opinionibus, commodis, ambitioni congruere sunt visa, procurastis. Itaque illud Poetæ mihi crebro succurrebat.

.....et sepulchri
immemor, struis domos.

Hæc ratio, inquam, & hæc afflicta & misera condi-

ditio Provinciæ magis ut de funere & sepulchro, quam ut de dignitate & novis constructionibus cogitemus, nos admonet: si huic tam gravi quasi morbo aliquid subsidii potest afferri, si adhuc aliqua salutis spes reliqua est, age, ut præmium omnibus studiis, consiliis, & copiis agatur, ut salva Provincia, ut sospes sit, ut vivat: sin autem res desperata jam est, si plane complorata, si nulla ratio medicinæ, nulla via salutis ostenditur; quid traducimus commune dedecus, quid nostrum casum graviorem & turpiorem reddimus. Præstat latere, præstat ignotos esse, præstat in tenebris ignorationis, quam in hominum luce versari. Nam si nobis pereundum est, levius pauci, quam multi: minus turpiter obscuri, quam illustres & noti peribimus. Quæ ista ratio, vel potius vexania est? Si non possumus nisi in occulis hominum vivere, at saltem illis non videntibus mori possumus. Etiam ne non solum vitæ, virtutis, officii, sed turpitudinis etiam, sed dedecoris, sed interitus, sed ruinæ occulos hominum testes habebimus? Hoc non amplificare dignitatem Provinciæ est, sed augere ignominiam, non producere illius tempora, non vitam propagare, sed efficere ut ruina ruat graviori. Adde quod omne istud, ut vos vocatis, studium & zelum, ut vero ego judico, libidinem & morbum & insaniam producendi fines Provinciæ, & domos alias aliis denuo accumulandi, non solum in hoc casu & in hac corruptela bonorum morum, quoniam melioribus curis locum non relinquit; sed incolumi etiam & stante Provincia, perfidè & perniciosè suscipitur: res nota est, & communi omnium quærella vocibusque jactata.

Affirmo quidquid gravioris sceleris, quidquid pessimi exempli his annis apud nos fuit, quod ille antiquus rigor tantum remisserit; quod nullam, non dico legem, sed ne formam reipublicæ habeamus, id

omne ex isto vestro non jam perfido, sed præclaro coloniarum deducendarum studio stitisse, dimanasse profluxisse: affirmo omnia quibus per id tempus infestamur, aut in his non Monasteriis, sed fœdis lupanaribus suscepta, aut ex illis deportata flagitia. Nam illis discursibus, & illi licentiæ assuefacti, & in illo vitæ genere libero, & omnibus legibus soluto semel enutriti homines, aut dum in eis locis sunt, à nullo genere peccatorum abstinent, aut ad alia loca translati contagione quadam sceleris alios inficiunt; & quoniam commutatum sibi genus vitæ ægre ferunt, & illa dulci licentia carere non possunt, cum ipsi ruunt, tum alios plurimos, quia soli perire nollunt, in ruinam secum & in perniciem trahunt. Hæc etiam res nostris legibus, id est, fundamentis, sine quibus stare nulla respublica potest, quoniam ibi bonis moribus nullus est locus, contemptum primo, mox etiam abolitionem & interitum affert; quæ pestis in illis locis exorta, sensim omne Provinciæ corpus pervassit. Ex his fontibus, & hac corrupta disciplina profluxit illud, quod, & cum maximo bonorum virorum dolore, & Provinciæ summa pernicie passim volitare videmus hominum genus, non modo à monastica religione & christiano pudore alienum, sed à communibus etiam humanitatis officiis, & ab omni ingenuo & liberali cultu remotissimum, in ganeis plane, & popinis, & in media vulgi fæce & illuvie educatum. Hæc denique omnis impuritatis domicilia sunt, & totius mali quasi seminaria. Itaque tantum abest, ut ista ratione res communis juvetur, ut ex eo potissimum maximis & gravissimis malis sit affecta. At dicet aliquis, quid tu ais? An non ista ratione status Provinciæ promovetur, dignitas amplificatur, cultus numinis, & hominum salus augetur? Sumus jam in oculis omnium, grato totius populi amore complectimur, etiam magnatum, etiam Prin-

cipum favor in nos inclinat. Parvane ista tibi, & negligenda videntur? Utinam! O! Utinam illa nemora, utinam illas secretas & antiquas sedes teneremus, & quod dicimur vere essemus; eremiti incogniti mundo, at Deo noti fuissemus; non haberemus oculos hominum nostræ virtutis testes, & animus sibi bene conscius suo ipso testimonio esset contentus; contemneret nos mundus, at nos vicissim mundum contemneremus. Re pauperes & obscuri, at virtute & veris animi opibus divites, & illustres viveremus. Nunc vero, o misere commutatum vitæ genus nostrum! Dum aliorum salutis studiosi videri volumus, latus apperimus ad mortiferas & lethales plagas excipiendas, & dum hominum gratiam aucupamur, à Christi gratia cedimus. Ergo ea tu mihi esse dicas studio prosequenda, quæ nos omnibus animi bonis spoliarunt? Concedam magna esse, concedas tu tamen magna illa, & multo maximo pretio nobis constitisse. Nolo tam pretiosos honores, nolo divitias virtutis jactura coemptas, nolo applausus hominum cum numinis indignatione conjunctos, & ut sint ista magna, an non alia multo majora sunt, quibus potior deberet esse locus? Cur igitur ista curamus sic studiose, ut maxima sic semper, ut sola bona esse videantur? Tametsi quæ est ista rerum spernendarum tantopere exagerata magnitudo? Magnum ne vobis, id est, Monachis, hoc est, rerum hujus vitæ contemptoribus aliquid videri potest, quod è judiciis hominum pendeat, quod hac luce & hoc spiritu contineatur, quod caducum sit & periturum? Adeo nobiscum ipsi discordes, adeo nobis dissimiles simus ut quæ professione contemnimus, ea studio & amore prosequamur? Id mundi osores in pretio habebimus, quod mundus ipse cum paulo cordatior fit, despicit atque deridet? Amat nos vulgus, esto: cras fortasse odio & sibilatione prosequetur. Favet Princeps, quid refert?

fert? Num idcirco meliores & sanctiores sumus? Cum aliis ordinibus de dignitate jam & honore certamus; utinam hac in parte ab illis victi, virtute illos & vera animi pietate vinceremus! Admiretur ista sane vulgus; nos vero qui à vulgi opinionibus toto Cœlo disjungimur, rideamus: regnent in aulis Regum, jaceant in Monasteriis, valeant apud imperitos, à cordatis vero, & rerum omnium rationes veritate ponderantibus hominibus repudientur: ac non sunt plane contemnenda, imò vero sunt etiam pestifera: an gratis & sine causa Christus suorum animos ab istarum rerum cupiditate & cura liberos esse voluit, & non potius, quia intelligebat, ex eo summam perniciem virtuti imminere? Aut quod singulis non concessit, ut opes & honores ambirent, id universis licere voluit? Et non potius quæ privatam cujusque, illa eadem publicam etiam salutem labefactant? Nimirum istud studium augendi honorem Provinciæ, ne fallere, ambitio est. Nimia augendi publicas opes cupiditas, quo magis prætextu publici nominis tegitur, eo insanabilior est avaritia. Nihil refert utrum privato, aut communi honori vel opibus plus nimio studeas. Quid vero si non modo non appetenda ista sunt, sed ne sunt quidem, & quibus nos placere credimus, iis contemptui sumus? Itaque vide, ne qui tibi videtur Principis favor, irrisio; magnatum gratia, stomachatio; populi honor, convitium gravissimum sit potius existimandum. Tenemur, mihi crede, tenemur: neque possunt esse occulta nostra flagitia. Nam quid hoc loco multorum & gravissimorum hominum judicia de nobis proferam? Quid dicta commemorem? Quid sermones hominum? Quid vulgi rumores referam? Quid apud multas civitates opinionem nostram gravissimam læsam? Quid risus, quæ fabula, quod convitium de nobis fuerint, dicam? Sed ista & vobis satis sunt nota, & mihi, vel pudori meo, vel amo-

amori quo rem communem complector, ne de illius turpitudine lætari videar, quædam sunt condonanda. Illud tantum dicam, debita nostris sceleribus nos pœna plecti, ut, qui studio laudis humanæ à vera virtute defecimus, pro laude infamiam reportemus; & qui hominum causa infideles Christo fuimus, eosdem homines in nostris rebus infideles experiamur. Itaque ut hanc orationis partem tandem concludam, si quibus verbis Propheta Esaias Judaicum Populum interrogabat, eisdem aliquis vestrum nostram Provinciam interroget: quomodo facta est meretrix civitas fidelis, justitia habitavit in te, nunc autem homicidæ, argentum tuum versum est, in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, is audiat pro causa id quod mox dicitur, quia Principes tui infideles socii futuram amantes munera, sequentur retributionem; ergo ut principum infidelitas rempublicam evertit, ita fidelitas munit, atque confirmat.

Sed quid? Satisne est præpositum esse fidelem? Christus prudentem etiam voluit; id jure optimo. Ego vero, nisi ille dixisset, fateor ingenue quod sentio, hoc loco & hoc vestro consensu dicere numquam auderem. Nam cum quotidie homines non solum imprudentes, sed etiam furiosos Magistratum gerere videam, atque ita gerere, ut quoniam semper gerunt, vobis probati videantur; si id dicerem, eum qui aliis præsit, prudentem esse oportere, vererer nequis vestrum diceret, & me falsum in eo esse, & vos ipsos probe tenere opus non esse, idque re ipsa & quotidianis experimentis didicisse. Verum cum summus Magister Christus id doceat, & dispensatorem suum non modo fidelem sed etiam prudentem esse velit, date veniam mihi, ignoscite quæso, si illius orationi potius quam vestris factis fidem tribuo, & si vos potius cum maximo malo errare &

fal-

falli, quam illum non vera & salutaria dicere existimo. An cum minimarum etiam rerum sua quædam ars & ratio sit, nulla erit maximarum? Et cum ne pecudes sine quadam prudentiæ ratione agitare possis, liberis hominibus temere imperabis? Si non est Medicus, qui medendi rationem non novit; si neque agricola est censendus, qui sationis & tempestatum opportunitates ignorat; qui potest fieri, ut recte imperet, qui prudentia careat, hoc est, ipsa arte & ratione imperandi? Nam quæ pars civilis functionis est, quæ sine summa prudentia commode administrari possit? Poteritne stultitia virtutis, & vitiorum discrimina nosse? Poterit tempora rerum agendarum distinguere? Opportunitates captare? Poterit subditorum hominum varia ingenia dignoscere? Poterit illorum mores ad virtutem conformare, & congruentem uniuscujusque morbis medicinam adhibere? Poterit mæstos exhilarare, timidos erigere, oppresos sublevare, elatos ita deprimere ut non frangat nutantes ne corruant, sustinere? Omnes denique paterna charitate & affectu complecti? Et ceu peritus medicus nunc pharmacis & amaris potionibus, nonnumquam etiam ferro & cauteriis, sæpius autem quiete & delicatiori victus ratione, & mollioribus ac suavioribus medicamentis uti? Has, inquam, tot res, tantas, tam difficiles quæ omnes prælati officio continentur, rerum & rationis imperitus homo præstare poterit? Et quarum rerum, vel singulæ exquisitam quandam rationem & divinam prudentiam, ut recte administrari possint, desiderant, his omnibus non diversis temporibus separatim, sed eodem persæpe temporis momento conjunctim imperitia & stultitia, & omnium rerum summa ignoratio satisfaciet? Quid, quod ea nostræ Provinciæ ratio est, is status, & ea perturbatio reipublicæ, ut non solum prudentia, sed rara quadam & divina prudentia, iis qui clavum illius tenent,

nent, sit opus? Nam alii habent leges quibus quasi consultoribus optimis utantur, habent jura tamquam præscripta quædam, quæ sequantur, quæ in dubiis implicatisque rebus consultant, & quorum ex arbitrio omnem imperandi rationem moderentur. Itaque, qui ejusmodi sunt, hi quasi prudentiæ mediocritate quadam possunt esse contenti. At vero apud nos, apud quos leges jacent, jura contemptui habentur, mos majorum fabula est; omnia ad unius, qui imperat, voluntatem & libidinem devoluta, illius ex nutu pendent, ita necesse est, ut Prælatus prudens sit, ut si summam prudentiam habeat, explicare se vix possit; si mediocrem multa peccet, si nullam, exitio sit futurus.

At fallunt nonnumquam homines specie prudentiæ, difficileque est stultum à prudenti, nisi experimentum feceris, distinguere. Esto sane, non repugno. Scio multas esse humani genii latebras, plurimos & sinuosos recessus. Sed qui falsa opinione inductus homini stulto magistratum mandat, is, re explorata atque comperta, quam citissime potest, factum mutat; si vos spes & opinio de quorumdam hominum prudentia concepta fefellit, cur amplius vos falli sinitis? Si error in causa fuit, cur veritate experimentis declarata, persistitis in errore? Et quem ne cibam regere potuisse vidistis, eidem cur prætoriam navem cur totam classem cum maximo omnium malo commisistis? At sunt Viri boni. Finge ita esse. Num idcirco rerum gubernaculis erunt satis idonei? At satis est piis moribus esse ornatos. Sibi ipsis fortasse satis, aliis vero si imprudentes sunt, non est satis. Summus ille Mosaicæ legis Sacerdos, cujus omnia non solum gesta sed etiam ornamenta rerum maximarum imagines fuerunt, non tantum nomen Dei ineffabile laminæ aureæ insculptum fronte gestabat, in quo fidelitas quæ Deo præstanda & præ oculis habenda erat,

significabatur, sed etiam supra pectus quod est sedes sapientiæ, rationale gerebat, multo auro et vario ordine gemnarum, hoc est, virtutum quibus prudentia constat, distinctum. Quid illa Cherubin, quæ Ezechiel Propheta vidit? Non tantum spiritus vitæ plena erant, sed etiam prudentiæ oculis omni ex parte respersa. Tantum abest, ut animi bonitas prudentia destituta sit satis idonea regendis hominibus, ut sit interdum etiam pestifera. Nihil enim perniciosius esse potest, quam præsidio aliquo & colore pietatis armata stultitia. Apertæ injuriæ facile obsisti potest; at ei, qui sanctitatis prætextu hostilem animum celat, non habeas quid facias. Itaque si alter eorum optandum necessario est, ego prudentiam cum moribus non optimis, quam mores optimos cum stultitia conjunctos mallem; prudentia namque quantumvis nuda et pietatis auxiliis destituta sit, prodesse aliquid potest, at pietatis specie stultitia et imprudentia munita, non potest non obesse.

Quocirca merito & magno cum consilio Christus, eum qui dispensator futurus esset, prudentem esse voluit, & sola fidelitate non contentus, prudentiam adjecit. Cujus virtutis nomine quoniam latissime patet, & ad omnia vitæ humanæ officia pertinet, multæ res continentur. Sed mihi illud tantum est dicendum, nos cum eum qui Magistratum gerit, prudentem esse volumus, id potissimum dicere ad consilium rerum agendarum rationem admittendam, affectus vero quibus prudentia inimica est, prorsus secludendos: quæ res, dum negligitur, magno nocumento esse solet. Nam quoniam Magistratus munus præcipuum est, hominum diversas voluntates & varia judicia nodo quodam societatis vincire, & ad concentum concordiamque redigere, ita omnium ingeniis ratione quadam se attemperans, ut ex omnibus unum quasi corpus efficiat; & quoniam ad eam rem as-

assequendam æquabilitas quædam, & dictorum factorumque summa constantia necessaria est; cumque affectus non solum varii sint & multiplices, sed interse contrarii atque discordes, fit, ut is qui prudentia caret, hoc est, affectus ad consilium admittit, rationemque secludit, non modo perniciosus custos reipublicæ, sed & his quibus præest, sit intolerandus. Ergo ut in luctu & lacrymis dum luget omnes versemus, necesse est. Afficitur majori lætitia; non tantum lætari, sed gestire & exilire debemus, cum paret timendum est: cum desperat, desperandum; modo flava, modo atrabilis, modo pituita, modo sanguis imperium tenet, dum rerum moderatur habenas. Alias ubi ira incanduit, alias ubi destruit, alias lætus, alias cum mœstitia afficitur, leges feret, & pro ratione variantium affectuum singulis momentis novum rerum statum inducet: non modo aliis adversus, sed secum ipse discors atque contrarius. Quod si Christus dicebat omne regnum in se divissum desolabitur, palam est eam rempublicam, quæ sub affectuum inter se dissidentium tiranyde sit constituta, stare non posse; et si Poliarchia et democratia, hoc est, ea reipublicæ forma, in qua vulgus et multitudo dominatur, postremæ cladi patet, ut omnes uno ore Philosophi Homerum secuti tradiderunt; quid dicendum de illa est, quæ in uno homine non trigenio, ut fabulæ ferunt Geryonem, sed innumeris cupiditatibus feris & imperiosis dominis servit? Et si verum est, neminem duobus dominis servire posse: tot & tam diversis, & tam contraria præcipientibus parere quis poterit? Sit Subditi hominis officium, ad ejus qui præest arbitrium suam vitam dirigere, semper ex illius voluntate pendere, dummodo præpositi etiam cura sit, talem se exhibere tam æquum, tam prudentem, hoc est, ita cum ratione conjunctum, & ab affectuum omni perturbatione liberum, ut illum

 nul-

nullo negotio possis sequi, possis imitari, possis exprimere. Ego sane cupiditates eas & affectiones animi, quæ mihi natura insunt, ratione regere & frænare possim; ad alterius autem hominis contrarias cupiditates & affectiones vertere non possem. Sum exempli gratia pronus ad bilem, si imperas, ut me comprimam, & ardorem excandescentiæ ratione & moderatione restringam, præcipientem sequar; sin autem jubes, ut aliam affectionem induam, & quoniam tu atrabili & voterem infestaris, vis me quoque tui similem mœstum & superciliosum effici, non sequar. Possum moderari meam naturam, mutare vero illam, & in tuam, hoc est, in contrarium prorsus habitum transformare non possum. Quapropter qui præest, qui diversos hominum mores ad virtutis concordiam revocandi curam & studium suscipit, is, ut ab omni animi perturbatione & affectuum turbulentia liber sit, prudens non tantum fidelis esse debet.

Hæc fuerunt quasi hujus operis fundamenta, nam quod sequitur, fastigium & culmen imponit, nempe ut sit à Domino constitutus; nam tametsi fidelis & prudens sis, tamen nisi à Domino ad te fuerit legitima imperandi potestas delata, tyrannus sis necesse est. Quæ res sic est legitima, ut sit etiam vehementer necessaria ad rempublicam recte gerendam. Nam si res nulla sine numinis auxilio recte suscipitur, tu speres in maximis rebus præstare sine numine posse, quod non potes in minimis? Potesne tu in dominicam familiam invito domino recte gubernare? Potes tam grave & immensum munus tuo ingenio, tametsi summo, sustinere, nisi ad tuum laborem domini auxilium futurum contra cujus voluntatem in ejus familiam tyrannidem exerces? Favebit ne dominus sui gregis deprædatoribus? Quod si Ethnici homines cum imperabant, ad conciliandam suis legibus auctoritatem,

eas

eas ad numen aliquod referebant: Si Radamanthus, qui Cretensibus leges tulit, Jovem se habere in consilio dixit, ut suis legibus pondus adderet et auctoritatem: si Minos, si Seleucus, si Numa Pompilius eadem de causa non disimilem rationem excogitarunt, quod omnes quicumque prudentes fuerunt, sibi faciendum putarunt, ut ad Deum omnem gubernandi rationem referrent, tu contra facias, ut contra Domini, hoc est divinam voluntatem ad imperium adspires? De Christo vero Deo quid, obsecro, legimus? Nec quisquam, inquit Paulus, sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron, sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu. Si ergo Christus, in quo omnes suas opes divinitas condiderat, non se clarificavit ut Pontifex fieret, hoc est, non sibi adeo placuit, non habuit eam de se opinionem (id enim græca vox rursus significat) ut sua auctoritate & sine permissu paterno Pontificiam dignitatem & Ecclesiæ summum imperium sibi arrogaret, nonne palam est eos insanire, qui se dominicæ familiæ recte præesse putant, ad quam regendam Domino non solum non consentiente, sed invito etiam accesserunt? Plato tantum eos, qui nollent rempublicam gerere, dignos esse censebat, quibus Magistratus mandarentur; eos autem, qui id ultro appeterent atque ambirent, ab ejus rei cura repellendos. Atque ita natura comparatum est, ut alterutrum sit necesse, ut nempe vel Domini voluntate impulsus, vel privata libidine accensus ad imperium accedas: ut aut legitima potestate usus prudens sis & fidelis; aut tyrannide, hoc est, tua voluntate ad imperium evectus, vel ambitiosus sis, vel plane stultus, hoc est, utrovis nomine ad id munus, quod tibi arrogas, ineptissimus? Nam si in Magistratu gerendo honos est, ambitiosus, qui id cupiat; sin autem summus & immensus labor,

bor, stultus, qui id non videat, est habendus. Tu, nisi tuus animus perversa ambitione corruptus, in sano imperandi desiderio conflagraret, per fraudem, per injuriam, & cum gravi optimorum hominum dedecore conjunctum scelus aditum tibi ad eum honorem patefaceres, atque munires? Tu, si scires, si tibi unquam in mentem venisset, quam dura & quam misera sit ratio gerendæ reipublicæ, qui labor, quæ assiduitas, quæ anxietas, quæ cura subeunda, quanta virtus & prudentia præstanda, quæ vigiliæ suscipiendæ, & quot in partes animus nocteque die versandus, tam aut demens, aut tui commodi oblitus, & tibi ipsi hostis & inimicus esses, ut non dico id ultra appeteres, sed ab aliis traditum & oblatum summis studiis, & omni animi contentione non recusares? Ei ne igitur, vos, ut aliis imperet permittetis, qui vel ita ambitiosus sit, ut ne ipse sibi imperare possit; vel ita stultus, ut ei ipsius muneris, quod cupit, laboriosam & difficilem rationem ignoret? Quid quod ista ita sunt mutuo copulata, atque conjuncta, ut qui non sit à Domino constitutus, is nec prudens, nec certe fidelis esse possit? Nam cur tu ei serves fidem à quo scias te non esse constitutum dispensatorem? Cur in Magistratu gerendo ejus voluntati inservias, qui ipsæ tuæ voluntatis nullam rationem habendam esse dixerit? Cur domino studes, quem noris tuis studiis fuisse adversatum? Aut cur non potius à Christo desciscens ad eos homines colendos, omnes rationes tuas convertas, quorum studia tuæ voluntati fuerint suffragata? Itaque quemadmodum tota Provinciæ pernicies ex nostra infidelitate dimanavit, id quod initio dicebam, ita ea infidelitas ortum habet, ex eo quod non sitis à Domino constituti, sed ambitione potius, & partium perversis studiis, non magis in imperium, quam in prædam & debastationem dominici gregis immisci.

Cu-

Cupio me esse mendacem, cupio nostra tam fœda vulnera, sin minus sanare possim, saltem silentio tegi: sed ut ego taceam, ut linguam comprimam, nostris vocibus & nostra confessione nos prodimus. Utrum ne finguntur à me ista? An ne levissima dicam? Quod Corinthiis, qua de re Paulus scripsit, contingebat, idem nobis in præsentia accidit, ut alius Pauli se esse dicat, alius Apollinis, ut alii hujus nominis factione, alii illis partibus studeant. Hic Paulum, ille Apollinem suæ salutis Deum habeat. Ille Philemoni omnia debere se dicat: si à Domino constituti videri volumus cur id hominibus nos debere profitemur? Cur factionibus dividimur? Cur rem domini, quæ communis & una est, non communibus animis & opibus gerimus? Et ut nostræ vitæ voces conticescerent, an non ipsa re idem claret? Tu in eo totus es, ut voluntates cæterorum hominum omni ratione demerearis, ut illorum omnes nutus observes, ut omne pravi & recti judicium ad eorum arbitrium revoces; nihilque aliud, aut agis, aut cogitas, præter hoc unum, ut illorum animos tibi vehementer concilies; cum adsunt, munuscula ultro citroque mittuntur; cum absunt, servilem in modum te submittis, blandiris, assentaris, & quod ille parasitus è comædia de sese prædicat.

His ultro arrideo, & eorum ingenia
admiror simul.
Quidquid dicant, laudo; rursus si
negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego, ait, aio, postremo imperavi egomet mihi.
Omnia assentari: Is quæstus nunc
est multo uberrimus.

Idem

Idem tu facis, & poteris aut ipse credere, aut nobis persuadere te esse à Domino constitutum? Non præficit Christus suæ familiæ ejusmodi hominum nugas, graves, & pios, constantes homines præficit. Ne fallere ab eo constitutus es, cui servis? Vis credamus te Domini voluntate imperare? Age, cura, stude ut placeas Domino, complectere illius familiam, pasce solicite illius oves, alimenta præbe, & in eo totus incumbe, ut nequid de grege pereat: sin ista negligis, & id quod facis, vel ampla ædificia erigere, vel opes, vel rem familiarem augere, vel uni hominum inservire prima ducis, da veniam, veritati non es à Domino constitutus. Sed hæc perspicua & nota sunt; nam si secretam illam rerum scenam, & occultam illam hujusce rei administrandæ rationem, & latens artificium in lucem proferre vellem, quas tragædias oratione mea, & quos tumultus excitare possem! Verum esto sane: sint per me obscura, dum conscientiæ vestræ testimonio sint manifesta; tegantur quasi silentio orationis meæ, dum modo vestris factis retegantur; me etiam si vultis, lateant, dum tamen & proprios uniuscujusque vestrum, & omnium hominum sensus, vos, non Domini voluntate, sed malis artibus imperare, non lateat. Quid igitur mirum est, quod subditos homines contumaces, quod protervos, & in vestram perniciem nonnumquam audaces experiamini, quippe qui non sitis à Domino constituti? Ego Christo dedi nomen, non ambitioni; te ambitio Prælatum fecit. Ego assentationi non servio, tu assentando ad imperium es evectus. Ego hypocresi, & malis artibus nulla fide ad obedientiam adstringor; tu his rebus tamquam machinis usus, aditum tibi ad honores patefecisti. Itaque aut legitima potestate utere, aut mihi id concede, ne te legitimi Magistratus loco habeam. Nam si id audes dicere, te fuisse à Domino constitutum, unde quæso tibi tantus ardor, & tanta cu-

cupido imperandi fuit? Cur illo potissimum suffragiorum tempore blandum te præter morem, & facilem præbuisti? Cur mæstum os nova hilaritate solvisti, homines humanius appellasti, & orationem tuam inusitato quodam lepore, & non solitis, quasi verborum salibus condivisti? Cur, inquam, cur per certos homines (nec enim res obscura fuit) ab iis quibus jus erat, ut te suo suffragio adjuvarent, omni ratione contendisti? Si à Domino es constitutus, hoc est, si magnitudine, & difficultate rei probe intellecta invitus, & vi majore coactus, in eum honoris gradum ascendisti, & si intelligebas id, quod res est, in eo non tam tibi honorem esse delatum, quam impositum onus, cur his, qui tibi suffragati sunt, tantum te debere existimasti? Aut, si hoc humanitatis est, cur eos, qui honestatis potius, quam voluntatis tuæ rationem habuerunt, hostium, & quidem infestissimorum loco habuisti? Cur te illis inimicum immitem, implacabilem, omnibus denique modis infensum exhibuisti? Res certa est, dubitari non potest, non es à Deo constitutus; non igitur te oves sequuntur; nihil mirere, non enim tu per ostium ad ovile, sed aliunde es ingresus; non audiunt scilicet vocem, non agnoscunt, contemnunt etiam, baculum legitimæ potestatis non habes, diffugiunt, furem putant. Impetum etiam in te canes faciunt, quippe qui sub Pastoris specie lupum truculenta rabie efferatum vident. Ergo, si gregem dicto audientem habere cupis, esto legitimus Pastor, & si legitimus Pastor esse vis, ne velis te esse Pastorem, sic enim vere imperabis, cum invitus ad imperandum accesseris; cum id munus fueris aversatus, tum eris voluntate Domini constitutus.

Quod autem additur super familiam, eo pertinet, ut intelligas qua ratione esse debeas erga illam affectus. Familiæ præes non tuæ, neque alterius de plebe, sed Domini, non potes pro tuo arbitrio dissipare, non

enim est tua; non sat est vulgarem, aut etiam mediocrem curam adhibere, est enim Domini; nam si id amoris ratio postulat, ut in amici negotio summam vigilantiam adhibeas, erga Domini familiam, & eam præcipue familiam, quam ille dicit esse suam, quanto debes esse solicitior? Multas habet Dominus familias, (quid enim est, quod sub illius non contineatur) sed quam suam appellari velit, unam solam, hoc est, nationem Christianorum habet. Ut jam cum audis suam familiam, selectam, eximiam, indulgentissime habitam, & illi vehementer caram familiam intelligas; id enim fert usus sanctarum litterarum, & divini ratio sermonis. Sic enim Joannem cognomento Baptistam, Cœlestis Pater per Prophetam Angelum suum appellat, ecce ego, inquit, mitto Angelum meum, quasi dicas eximium illum, & præstantissimum Angelum: quocirca vide quid agas: eodem enim apud te loco illam esse vult, quo apud se est; vis scire quæ sit ratio muneris tibi delegati, vide qua id ratione à Christo sit administratum. Si contemptui ille habuit familiam suam, si neglexit, si se illius sudoribus & dolore aluit, si contumelius affecit; si prædam exposuit, si tandem sævas in illam manus intulit, in fugam convertit, nihil est quod vobis irascar, pergite quod facitis, nulla enim re inferiores aut degeneres estis; sin autem illam suis oculis & sua vita plus dilexit, si proprio sanguine cariorem habuit, tu audeas, vel negligere, quos Christus sibi ipsi prætulit; vel dissipare quos inmenso labore ille, & crudeli totius corporis laceratione collegit; vel servorum loco habere, quos, ut à fœda & fera servitute vindicaret, miseram servitutem ipse servivit? præfecit te Dominus familiæ suæ, & sane ut nihil aliud esset, nisi quod te dignum existimavit, cujus curæ & fidei suam familiam, hoc est, suos amores & delicias crederet, id te ad omne humanitatis & benevolentiæ gestus

tuis emollire debuisset. Possis ne tu Domini de te conceptam opinionem frustrari? Possis spem fallere, judicio non respondere? Sed vel constituit te super familiam suam; sed ita ut dispensatorem dici voluerit, ut ex eo quod dispensator dicerit, te non tam imperare, quam servire, & præscripta formula servire intelligas; in eo vero quod super familiam suam sis constitutus, intelligatur is honor qui tibi à familia est deferendus, ut quemadmodum Christus rebus omnibus, quas aut dixit, aut gessit, divina humanis, hoc est, ima summis parva magnis copulavit, ita quod suo loco constituit officium ex utraque ratione esset temperatum, & in eo munere servi assiduitas cum præfecturi dignitate & honore conjungeretur, quo neque de dignitatis splendore, cum te servum cogitaveris, fastu intumescas, neque objecta serviendi ratio, nisi ad eum honorifica aliqua species accederet, te faciat contemptibilem. Constituit te Dominus super familiam suam, sed cujus rei, obsecro, gratia constituit? Ut det illis, inquit, cibum in tempore. Gratia tibi, Christe benignissime, & summe Imperator, præficis nobis non stultos aut infidos homines, sed fideles & prudentes servos, non qui vexent, sed qui alant; non qui flagella, sed cibaria tuis famulis subministrent. Multa mihi hoc loco confestim dicenda, & quasi cursu orationis meæ prætervolanda sunt, quoniam ad calcem & metam fessa jam anhelat oratio. Ut det, inquit, cibum; utrum apertiorem ideam, quæ vestri muneris vos admoneat, desideratis? Nihil dici poterat, neque majori luce, neque majori compendio, ut det, inquit, cibum: ergo id ad tuum munus tantum spectat, ut alas, ut pascas, hoc est, ut omni ratione blandum te, humanum, amicum, amatoremque demonstres. Cibum à te accipiat familia, hoc est, non detrimenta, sed commoda, non jacturam, sed utilitatem, non injurias, sed summis emolumentis cumulata beneficia:

cibum, neque aliud nisi cibum des, oportet, ut intelligas etiam cum ratio disciplinæ severitatis personam tibi imponit, cum consumptis aliis remediis: ad hæc austera, & amariora medicamenta descendis, id quod raro, & cum delectu, & non passim est faciendum; nihil aliud in eo præter ejus, in quem animadvertis, commodum & salutem quærendam, atque ita quærendam, ut sit conspicuum id te quærere. Hoc est, ut ita severitas animadversionis cum animi misericordia conjuncta, judicii rigor lenitate temperatus, pœnæ austeritas, charitatis dulcedine sit condita; ut in ipsa punitione amor eluceat, ut inter ipsa verbera paternus affectus emineat, ut non acerba punitio sed salutaris medicina, non hostilis vindicta sed lenis, & amica objurgatio; non severitas, sed amor & charitas, sed cibus, & quidem suavissimus jure omnibus videatur. Cibum, & nihil aliud præter cibum, donare debes, ut quidquid dicas, quidquid facias, id pro exemplo & incitamento ad virtutem hominibus tibi subditis esse possit. Nullum ex te verbum insolens, nullum asperum, nullum protervum, aut imprudens, nullum scurrile, nullum quod animi vitium aliqua ex parte suboleat, aut vanum audiatur; omnia sint tibi cum prudentia, gravitate, & pietate conjuncta; cibum denique exhibeto, ut quoniam in sacris litteris eo nomine quæcumque ad vitam tuendam sunt necessaria comprehenduntur, intelligas, nullam muneris rationem, nullum beneficii genus esse quod non vel præstari à te, vel abs te spectari oporteat. Est hoc divine à Platone dictum. Jure ab Homero, eos qui rempublicam administrant, appellatos fuisse Pastores, nullamque appellationem esse, quæ vel congruentior, vel plenior, vel ad illos sui officii admonendos sit efficatior; propter ea quod, quemadmodum ea omnia, quibus gregis tutela eget, unus Pastor munera substinet; ille enim, inquit, & pascit, & morbis medici-

nam facit, idem partus obstetrix, & nutritor; præterea nemo melius musica & cantu armentum oblectat, nunc voce, nunc arundine gregis sui aures demulcens; ad eundem modum, qui in Magistratu est, & parentem præstare debet, & Medicum, & nutritium, & amicum, & servum, & consultorem, congerronem etiam interdum, atque sodalem; omnia, quibus salus hominum contineatur, curare; nullum quantumvis laboriosum munus refugere; sese in omnem partem vertere. Omnes enim aliæ artes, quæ sunt in vita, in certo quodam & definito genere versantur, & quasi inter sese humanam vitam dividunt partæ aliæ, aliæ alia parte fruentes; Medicina saluti consulit, ars vestitiva meditati, agricola famen propulsat, Architectus contra cæli inclementiam & aeris injuriam nos munit; pictura oculis; musica auribus inservit. At civis munus, & Magistratus cura, labor, industria, nullis certis & præscriptis regionibus continentur, neque ut aliæ partes, sed ut nulla totum integrum universum hominem tuendum fovendumque complectitur. Cibum itaque, hoc est, omnium rerum quibus homo indiget, necessariam copiam subministrat.

Sed vide quibus, illis; Illis, inquam, non tibi. Illis te divitem esse oportet, tibi pauperem; Illis liberalem atque magnificum, tibi parcum atque tenacem. Illis, inquam, non aliis, hoc est præsentibus, non iis, qui venturi erunt in annos. Erigis nova ædificia, & summa cura communes census auges, totusque animo & studio posteritati consulis, quæ ad tuam curam non pertinet; eos autem quibus præes, & quibus jus à te in primis oportuit esse perpetuum, summa omnium rerum inopia laborare atque perire sinis, quo quid potest esse perversius? Nam si hæc ratio semel admissa fuerit, ut tu præsentes negligas, futuris studeas; & illi rursus convixerint ad alia, & post ventura sæcula quo omnes tuas curas & cogitationes con-

vertat ; fiet , ut ejus rei , quæ hominum gratia constituta est , utilitas , semper his qui præsunt posteritati imminentibus , ad nullos unquam perveniat , tu itaque jura præsentia , futura , alius curavit ; neque tam diligens videri velis , ut Domini providentiam pervertas : Illis postremo à te non tibi ab illis cibus est tribuendus , hoc est , tu dominicam familiam pascere, non te illa saginari debet , non temere hoc & sine causa à me dicitur.

Adest enim , ut video , adest profecto quidam , & in hoc vestro ordine jam diu quod doleo , versatur , quo cum mihi aliquando magna rixa & altercatio fuit , cum ille multis verbis serio contenderet , & omni animi contentione pugnaret , Prælatum non ipsum subditos homines alere , sed à suis subditis illum ali oportere ; ego contradicerem id esse hominis ne ipsum munus , quod gerebat , intelligentis: ergo ; tu mihi de sella sedens fracta ; & nonnulli voce , & vultu , & toto corporis habitu ad risum composito : alios digito & oculis distortis notabis : in alios salibus ludes ; alios , homo ut tibi videris , peracutus obliquis dicteriis perstringes. Et tibi in frigido corpore bilis accensa est ; conviciis male acceptos dimittes; omnes denique præter te flocci facies ; & quos vel servorum loco habeas , indignos duces , & hac ratione tuo te officio probe satisfecisse putabis : mecumque contendes te tuorum labore , & ærumnis ali , & pasci debere ? Videlicet res obscura & ambigua est, aut multæ difficilisque quæstionis & non potius aperta Christi voce , & illustri illius testimonio definita. Reges , inquit , gentium dominantur eorum : vos autem non sic , sed qui major est inter vos , sit tamquam qui ministrat.

Procuratio tibi tradita est , assiduitas , labor , solicitudo , vigiliæ , non otium , non delitiæ , non requies; te tuis ovibus victum quærere , non tibi illas cibum

sup-

suppeditare decet; sed hæc perspicua sunt. Illud autem quod postremo loco dicitur, nempe ut des in tempore, vobis diligenter est advertendum: Sæpe enim ratio temporis & opportunitatis neglecta omnem ofcii vim, naturamque pervertit; ut vel gratiam minuat, vel fructum auferat, vel in pestem illud perniciemque convertat. Contulisti aliquid beneficii in tuos; veste illos, aut alia re necessaria fovisti, sed sero, et vix tandem illorum vocibus quærellaque coactus; vide quid egeris, gratiam omnem, summam alioqui futuram, perdidisti. Vere enim non solum perleganter dictum est à Poeta.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia, namque
cum fieri properat gratia, grata magis.

Laborat morbo aliquis, dum medicinæ locus est, illum negligis: At ubi vis mali incuria corroborata nullam bonam spem reliquam facit; accurris, medicos convocas, sumptui non parcis. Casca jam est omnis illa opera, fructuque caret tua nimis in longum tempus dillata sedulitas. Fervet ira non justa de causa; irritatus alicujus animus, quid tu contra irasceris? Quid minaris? Quid supplicium, quid verbera intentas? Hoc est, insanientem majorem ad insaniam adigis? Sustine parum, & pone minas; si ne illius animi tumor desideat, mox se castigari patietur, quem paulo ante sine gravi illius pernicie non poteras, vel leviter admonere.

Alia supplicio inferendo, âlia indulgentiæ exhibendæ apta & idonea sunt tempora. Imbecillitas animi amore fovenda: facinus & audacia severiori pœna plectenda est. Sed vos imprudentia animi cuncta ista pervertitis. Nam quo tempore labore, & rerum difficultatibus, aut quavis alia ratione, hinc inde impulsus fratris animus quasi labascit, eo tu potissimum tempore instas, urges, injurias accumulas, indignationis & odii faces subinde admoves, pellis denique,

do-

donec ruat. At idem ubi facinus est designatum, & ubi est perpetratum flagitium, blandum te, & facilem, & indolentem, hoc est, in retinenda morum disciplina dissolutum ostendis. Olim ista, olim tibi facienda erant. Cum illorum æger animus morbo implicabatur, benignitate erant sanandi; cum nutabant, charitatis nodo vinciendi; cum ruebant, prudentia & tolerantia sustentandi. Nunc vero culpa, supplicium, rei gravitas, odium, exemplum, severitatem, acerbitatemque desiderat. Tunc comis & perindulgens debueras esse pater, nunc severus & tristis judex sis, necesse est: nam tu mihi in dissolvenda disciplina modo lenis sis, qui paulo ante in tuenda tuorum salute immitis, acerbus, crudelis, & barbarus plane fuisti? Tu illos, quos vix oportebat ista communi luce frui, eadem, aut etiam meliori conditione, quam ceteri esse sinas, permittasque illis, ut tamquam re bene gesta læti, & alacres, & plane de nostra ignavia & stultitia triumphum agentes erecta cervice, & amisso pudore volitent? At gaudes de inventa ove, quam perdideras, & quam bonus pastor in humeris tuis impositam lætus reportas. Probo, laudo; gaude sane, sed ita, ut ne tuo nimio & immodico gaudio reliquis ovibus sis causa pereundi; gaude sed ita, ut scias ægram illam & morvidam esse, & à te amariori & austeriori medicina sanandam. Sentiat illa se peccasse, sentiant aliæ id illi non impune fuisse. Erubescat illa suum dedecus; caveant aliæ tot ignominiæ maculis notatam culpam; intelligat illa se infimum & postremum locum honoris tenere; intelligant aliæ qua illis conditione; siquid admissum fuerit, sit deinceps verendum, quo pretio, qua mercede, quo periculo sint peccaturæ. Itaque istam hæc ratio temporis asperitatem requirit; aliis in rebus, & alio tempore esto, si potes humanitate, lenitate, & comitate conditus.

De-

Denique in tempore demensum cibum præbere debes, non quod aliquod tempus sit, in quo cesare tibi, aut otiari liceat; sed ut quemadmodum humanus animus, tametsi in actu sit, in alias actiones suspicit; nunc amat, post odio prosequitur; jam mœret, jam lætatur; modo corpus ciet, modo ad quietem revocat; oculis videt, auribus sonos excipit; in corde vivit, in capite intelligit; in jecore nutritivam facultatem exercet, & pro diversa ratione membrorum alia atque alia munera obit simul, & illis omnibus præsens, & ad singulorum rationem se attemperans: ad eundem modum Prælatus toti reipublicæ, quasi corpori infusus, & universas illius partes vitali quodam complexu fovens atque devincens, ita universis adesse debet, ut pro ingeniorum diversitate & temporum ratione interdum ad virtutem instituat, interdum ad pugnam & luctam cum hoste animet; nunc mœstos reddat, nunc mœstitudinem pellat, lætitiaque afficiat; jam ad virtutis amorem laude animos suorum accendat, jam minis & suppliciorum terrore in officiis contineat; agat modo præcibus, modo blandimentis; modo objurgatione, & animadversione gravari. Hos comitate sermonis, illos taciturnitate; hos re, illos verbis conciliet; doctis doctus sit, apud scientiæ expertes ne velit haberi eruditus; filiis patrem, ægris medicum, ignaris magistrum, pravis vindicem, bonis comitem, juvenis ducem, senecta confectis suavem amicum, cunctis diligentem se & frugi servum exhibeat; sit convictus modesta gravitate suavis, sit sermo lenis, sit amica objurgatio, sit ardens cura atque solicita, vigilet semper, cunctis prospiciat, sua negligat, aliena curet, hoc est, ut prima ultimis jungant, & fidelem, & prudentem se à domino constitutum esse demonstret. Quod si his omnibus virtutum quasi luminibus omnes eos, qui singulis Provinciæ partibus sunt præfecti, ornatos esse decet, in

eo, qui omnem molem Provinciæ sustineat, quanto ea omnia debent esse illustriora? Vos quorum sufragiis ille modo creandus est, providere debetis. Alii quasi minora astra suam quandam lucem & quasi fulgorem habeant, hic ceu totius luminis fons, suæ lucis copia & abundantia omnes alios illustret. Cæteri fideles sint & prudentes, hic non ut unus de vulgo, sed inter prudentes prudentissimus, & inter fideles fidelissimus. Etsi eum hujusmodi esse semper decet, hoc tempore & hoc Provinciæ languore, non decet modo, sed vehementer etiam est necessarium. Nam profecto, quo loco res Provinciæ sint deductæ, videtis; qui status rerum; quæ perturbatio reipublicæ; quæ hominum & quam assidua querella; quæ corruptela sit, & plane naufragium bonorum morum perspicitis, omnia quasi membra Provinciæ laxata sunt; totum corpus infestum; nihil aut tam sanum, aut tam remotum quo non aliqua vis morbi pervaserit; nihil est eorum quæ labefactant rempublicam, cujus nostra Provincia sit expers. Si citra legum præsidia nulla stare possit respublica, nobis jam olim nullæ sunt leges; si res communis præmio continetur & pœna; neque scelus supplicium, neque virtus meritam gratiam apud nos habet, si periclitatur respublica cum rerum imperiti gubernacula tenent, nos jam diu est, quod in summis discriminibus periculisque versamur: quod obsecro, genus calamitatis aut mali à nostris miseriis abest. Malum est cum Magistratus inter se dividunt; nos collidimur inter fines desidiis. Factiones evertunt respublicas; non potest fieri, ut nostra procul absit ab interitu: peccandi licentia, est peccatorum attrocitas, & perditorum hominum passim obvia multitudo, indicium est disolutæ morum disciplinæ: apud nos (ò nostram miseriam) sic omnia scatent flagitiis, sic ardent scelere, sic ejusmodi hominum pestibus sunt conjuncta, referta, ut mihi crebro

oc-

occurrat usurpare illud propheticum : quis dabit me in solitudine diversorum viatorum, & derelinquam Populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt & cætus prevaricatorum. Itaque non est hujus temporis ratio eadem, quæ cæterorum. Antea siquid ofensum fuisset, vulnus accipiebat respublica, nunc siquidquam peccatum fuerit, ut intereat necesse est: nullum esse jam potest leve erratum; nullum vulnus mediocre; quamquam plagam accipiat, accipiat modo, læthalem plagam accipiat oportet; quapropter sic existimare debetis universas omnium nostrorum fortunas, spes, incolumitates, salutem, totam denique rempublicam, quæ ex isto vestro facto nunc pendet, in vestris manibus positam & collatam; nunc esse, idque hodie agi, ut per vos, aut salvi simus, aut fœde & misere pereamus.

Cogitate Provinciam nostram quasi communem parentem in præsentia languere; & quasi aliquo morbo oppressam cum summo vitæ discrimine ægram decumbere; vosque pios decet filios convenisse, ut qui illius morbo mederi possit, peritum aliquem & excelentem medicum quæratis, totamque ejus salutem ex medici arte pendere. Is qualis esse debeat, non ego, quam ipsa res, immo vero ipsa Provincia vos decet, quæ jam vobis sic agit, & quodammodo tacita loquitur: in summum periculum adducta sum filii, & nisi cito provideatis, extrema mea tempora, & facta jam instant: multa, & gravia vulnera vestra culpa accepi. Ea quandiu per vires licuit, quandiu robur aliquid fuit, tuli, ut potui: at nunc mali & gravitas & diuturnitas omne robur exorbuit, omnes exhausit vires; nequit ulterius sustinere longis miseriis debilitata senectus: vulnera mea medicum reqrirunt, quia inveterata; artis peritum, quia multa; industrium, quia gravissima, & prope lethalia, experimentum, & in rebus dubiis & difficilibus mul-

tum & sæpe versatum non patitur ratio hujus temporis, non sinit imbecillitas salutis meæ, ut faciatis periculum ignotæ, & non perspectæ prudentiæ. Nam si semel peccatum modo fuerit, actum & nobis erit; nullus locus, nullum tempus relinquitur faciendæ de novo medicinæ: non dignitatem à vobis, non honoris ornamenta peto. Ista olim salutem tantum, atque vitam petunt, atque id non tam mei, quam vestri causa peto. Ego enim, & honoribus perfuncta maximis, & numerosa & illustri prole fæcunda, quod ad me attinet, satis vixi. Si vobis incolumibus mori possem, æquo animo mortem obirem; nunc autem vestra omnium salus mea salute continetur. Ista vulnera quibus conficior, vestra sunt, vel quia vos lædunt, vel quia sunt à vobis illata. O novum miseriæ genus! A filiis vulnus accepi, nec possum vivere, nisi per eos, qui me ad necem sauciarunt: possum vobis ignoscere: possum condonare illatas injurias; possum vestrum auxilium implorare, & vos non poteritis animum ad opem ferendam induere? Ut nihil aliud esset, tamen id satis esset, ut faceretis medicinam, dedisse morbo causam; nunc vero quos non titulos allegare vobis possem? Si rebus afflictis est miserendum, misera sum: si senectutis ratio aliquid valet, senex sum; si ægris pietatis officia debentur, ego quibus morbis non laborabo? Si injuria & immerito oppressis natura favet, ab iis quos alui, hæc vulnera infelix accepi. Si denique benemeritis gratia est referenda, quid plura dicam? Sum mater, nolo vos moveat hæc ratio calamitatis in matre, si non moveret in hoste. En jaceo, en extremum spiritum duco, en opem supplex imploro, quid vel infestus hostis amplius desideraret? an hæretis? an dubitatis? nondum ne vos satis miseret mei? Vitam mater à filiis peto, atque ab iis filiis per quos pene occidi; nec tamen impetro. O stirpem invisam, ò vestris parentibus divinis illis viris de-

generem prolem! Non sic illi majores vestri quibus estis indigni; quorumque ego pietate & divina virtute recreata felix quondam & beata florebam. Illi omni me ratione illustraverunt, vos postrema ignominia affecistis; illi infinita in me ornamenta contulerunt, vos vitam ademistis; illi pro meis commodis ultro vitam profundebant, à vobis in summo meo periculo, vel innane lacrymarum officium non potui extorquere. O commutationem, ò conditionem miserendam, ò meam fœdam canitiem, ò ætatem, ad dedecus & ignominiam plus satis vivacem! Utrum ne meas lacrymas, utrum ne ut vestris genibus advoluta servilem in modum vos orem, spectatis? Ecce advolo, ecce meam canitiem ad vestra genua submito. Ecce obortis lacrymis ora, sinusque rigo: per has vos lacrymas, filii, per hos annos perpetuo in honore actos; per hæc ubera, quæ vos aluerunt, longa ætate victa: per antiquam illam famam & gloriam nominis mei oro, atque obtestor sublevate jacentem, ferte opem calamitosæ; depellite depellite à cervicibus meis jam jam imminentem pestem. Deponite privata studia, concepta odia, vel abjicite, vel in aliud tempus reservate: suscipite dignam vobis, dignam vestris majoribus curam juvandæ reipublicæ, & in studio mei, id est, communis salutis concordibus animis incumbite. Hodie, aut per vos recreata meliorem spem concipiam, aut à vobis deserta, ægram & invisam vitam relinquam. Hæc vobiscum illa agit.

Tu, autem, quicumque huic morbo medicus futurus es, quoniam ex isto consensu futurus unus es, sic cogitare debes. Provinciam suscipio, non ut alii regendam, sed ab ipso proprio interitu vindicandam; magna cautio tibi adhibenda est, & summa provisione agendum, nequid aut offendas, aut prætermitas. Multis illa & gravibus malis, vulneribusque affecta est, quorum quædam inveterata sunt; quædam recentia;

alia

alia quæ videntur sanata, non sunt illa quidem sanata, sed ejus, qui modo magistratu abiit, optimi & humanissimi viri, negari non potest, prudentia & lenitate est illis quasi tenius quædam cutis induta. His tu omnibus medicinam debes adhibere; nam nisi mature provideras, erumpent in apertum exitium: dividendæ sunt tibi cogitationes, & multis rebus, uno simulque tempore providendum. Magna corruptela est bonorum morum. Id te imprimis curare decet, ut ad pristinum decus revocentur, atque ita revocentur, ut in eo non tam illa quæ speciem honestatis habent, quam quæ vere honesta sunt, consecteris: nostræ leges jus suum ut obtineant, his pondus & auctoritatem addas oportet.

Queruntur nostri homines, & merito queruntur, se opinionum errore cæcos non habere quod sequantur: cum alii actis Hyeronimianis standum esse censent; alii non censent; alii cum delectu tenent; illud rejiciunt, dum quidam privatorum suffragiis, quidam hoc vestro selecto Conventu Magistratus affirmant esse mandandos. His hominum justis querellis, tibi etiam finis est imponendus: qua id ratione facias, ego quidem non statuo; neque aliquid tibi præscribo. Illud tantum dico utrumque decreveritis, decernatis modo, meliori conditione nostram Provinciam, quam nunc est sub ista cæca opinionum nocte, futuram. Constat quosdam injuriis affectos esse immerito. His nisi te acrem & severum vindicem præstiteris, mihi crede, stare non possimus. Alitur enim impunitate in eo, qui injuriam fecit, licentia peccandi & in eo qui passus est, incrudescit in dies nulla quasi vindictæ medicina lenitus injuriæ dolor, cum magno aliquo malo tandem erupturus. Magna præfectorum culpa multi homines quotidie nostrum institutum deserunt; in hoc plane acerbum, immitem, implacabilem te exhibere necesse est; an est aliud, quod ab illis solicitius sit cu-

curandum, vel à te severius & rigidius vindicandum? Siquid de re pecuniaria perit, rationem exigas, & vere punias, & cum singulis annis tot homines & nobis, & quod gravius est, sibi pereant, id negligendum putes? Tu non exigas perditæ ovis à pastore rationem? Tu tam cara pignora, pro quibus Christus mortus est, gratis perire sinas? Illud autem quod ad eos, qui morbo laborant, pertinet, non est tibi postremo, aut infimo, sed summo potius loco ponendum. Inhumane, aspere & plane barbarè cum ægrotis agitur, ita ut ei, qui in graviorem morbum incideret, proposita sit aut cita & amara mors, aut diurna & acerba miseria.

Homines porro, quibus imperaturus es, quoniam ex vario quasi genere constant, varia & quasi non una ratione tractare debes. In primo genere sunt viri quidam, & morum pietate & ætate, & usu rerum, atque prudentia spectabiles; pauci illi quidem, sed quo pauciores illi sunt, eo majori in pretio abs te haberi hos in consilio decet. Secundum genus est eorum, quorum vel ignota, vel despecta virtus in tenebris jacet, qui tibi excitandi & erigendi erunt, ut ingenii & probitatis suæ lumen nobis præferant. In tertio genere veniunt nonnulli, qui tametsi eorum improbitas & nequitia apertis argumentis teneatur, tamen inter vos & in eo ordine selectiori versantur: hos tu, si dignos suis meritis loco dejeceris, singulari & prope divino beneficio Provinciam afficies. Reliqua est lex quædam & quasi sordes vilissimorum hominum, de quo genere toto sic accipe: optandum est, ut ad sanitatem revocentur, sin autem id fieri nequit, excindantur. Illis enim, quasi sordibus exhonerata Provincia, statim se habebit & lenius, & melius.

Innumera sunt de quibus te admonere possem, sed me plura dicere angustia temporis non sinit; quocirca excita te tandem, quisquis es, expergiscere: in-

invigila, in omnem partem te versa: indue generosum pectus, & quod multarum, & maximarum consultationum sit capax, & ceu in extremo periculo bellici discriminis nunc isti, nunc illi parti auxiliari magnum, difficile, laboriosum, arduum, multiplex, immensum, & prope infinitum est munus; quod sustines, quod si & id majus est, quam quod ab ullo homine præstari possit, & est desperata jam salus Provinciæ. Quid agimus miseri? Quid stamus? Quod sedemus? Quod cessamus? Cur non Christi divinis pedibus advoluti opem illius & paternam veniam precamur? Pater, si tamen nos filii, & non potius desertores perfidi; Pater, sed certe Pater, miserere peti-
timus.

PANEGYRICUS

D. AUGUSTINO DICTUS.

THEMA.

Vir intelligens in sapientia permanet sicut Sol, nam stultus ut Luna mutatur.

Eccl. 27. vers. 12.

De Divo Augustino, incredibili & plane divina sapientia viro, apud vos homines sapientiæ studiosos, atque adeo in ipso sapientiæ domicilio orationem habiturus, utrumque ad munus & officium meum pertinere puto, ut & Augustini veram sapientiam laudem, & vos qui sapientes & vocamini & haberi vultis, id, ut vere sitis, adhorter. Nam alterum, ut de Augustini divinis laudibus dicam, & hujus diei ratio quæ tota illius honori dicata est, & vester ad hunc illius nomine diem festum agendum tanta animorum alacritate concursus, id à me suo prope jure exigit. Alterum vero, ut quos in litterarum ac sapientiæ studiis consumere ætates suas & ingenia video, iis rectum ad sapientiam iter ostendam. Christiana charitas facit. Utrumque autem quodammodo suadet prudens Ecclesiæ salutareque consilium, quæ idcirco sacra & dies festos viris bonis vita functis constituit, ut ad excellentis virtutis imitationem incitet vivos, semperque cum de mortuorum honoribus, atque gloria vivorum commoda & utilitates conjungit.

Ad quas duas res hæc una, quam proposui è li-

bris Salomonis desumpta sententia mire apta est; continet enim sapientis stultique imaginem. Et à sole, atque à Luna ducta similitudine satis declarat, sapientes propriis animi bonis splendescere; non lucere alienis; lumenque ipsum sapientiæ neque tempore extingui, neque casibus variari, neque ulla re objecta minui, neque extrinsecus adhiberi; sed ab animi interiori & magna luce derivari. Contra autem stultitiam veri splendoris intelligam è vicino semper lumen petere, neque tantum ea quærere, quæ vere illustria sunt, sed falsas quasdam & inani fulgore nitentes species sectari. Ferri stultos semper atque jactari inconstantia incredibili, nusquamque consistere; & quo tempore feliciores habentur & quo magis splendore, ac dignitatis luce circumfluunt, eo à veræ virtutis atque sapientiæ claritate longius abesse, hoc est, esse obscuriores & miseriores. Quibus rebus sapientiæ, atque stultitiæ perfecta forma ita describitur, ut in eam vos conjicientes oculos, quæ vel ad laudem Augustini, vel ad sapientiæ doctrinam pertinentia mihi ad dicendum proposui, ea ipsi per vos assequi & videre possitis, planeque perspicere, & quantum ille in omni genere veræ laudis sapientiæque floruerit, & quantum vobis desit ad perfectam sapientiam. Sed quoniam quemadmodum pictores faciunt, ut cum formam aliquam coloribus depingere volunt, ejus formæ prius creta, aut carbone extrema, & quasi summa lineamenta ducant. Sic Salomon eam, quam dixi Sapientis, stultique imaginem brevissimis verbis adumbravit potius quam expressit. Idcirco ei formæ nos oratione nostra tamquam colores addere, & illustrare singula & uberiora omnia, atque pleniora reddere, anteque vestros oculos videnda proponere interpretationis infusa luce debemus: quod & faciemus sedulo, & plane effecturos nos speramus. Adsit modo qui universis piis conatibus adesse solet Deus

Dux

Dux, atque Auctor orationis meæ, cujus ad nos lumen facile inclinare poterit purissima Virgo : quid enim à Sapientissimo filio sanctissima Mater non impetret. Eam igitur supplicibus verbis oremus.

Magnus est & frequens, cum in divinis litteris, tum in omni doctrina, quæ quidem via, & ratione traditur, similitudinum usus. Et haud scio an ulla docendi ratio sit, vel aptior, vel utilior. Nam de re illustri ducta, & ad res minus notas nobis illustrandas scienter adhibita similitudo, & id cujus causa adhibetur non docet modo, sed quod nullo alio orationis genere effici potest, tanquam in quodam lucidissimo speculo positum, sic animi quasi oculis videre facit & simul perfundit animum honestissima voluptate, quam percipit, & in rebus diversissimis præter spem objecta & tacite animadversa naturæ cognatione, atque consensu. Atque profecto nulla res est in tanta, quantam & oculis & mente conspicimus, rerum multitudine & varietate, quæ non habeat cognationem cum alia. Neque solum singulæ singulis cognatæ sunt & affines, sed universæ omnibus, singulæque universis mirabiliter consentiunt. Ex quo existit ille mundi totius plenus admirabilitate concentus, quem qui animo ab aliis curis vacuo, cum in cœlum suspexerint, indeque ad terram dejecerint oculos collustrarintque, omnia circumcirca vident semel, atque sensibus hauriunt homines, eam animo capiunt voluptatem, ut satiari nunquam queant.

Et quamvis res omnes aliæ aliis sint similes, tamen nescio quo pacto fit, ut quo alia res melior præstantiorque est, & quo magis bonitate, dignitate, splendore distat à cæteris, eo illius similitudo, atque imago aliqua extet in pluribus. Ponamus exemplum in Deo, qui & summe bonus est & infinito intervallo bonitatis, magnitudinis, perfectionis res omnes vincit. Quot habet, & quanta suæ bonitatis impressa ves-

tigia? Quot imagines, quæ illum referant? Quantas ad omnes res & quam expressas similitudines? Et quæ enim res est, quæ hoc ipsum, quod est, quod viget, quod vivit & sentit, quodque in aliquo munere, & in operis functione aliqua excellit, Deo non sit similis? Habet enim ille innumeris bonis cumulatum & exaggeratum decus, omnisque generis præstantiam & excellentiam summan. Ex quo efficitur, ut nulla in rebus creatis vel sit, vel fingi possit laus, nullum decus, nullum ornamentum, nulla egregia indoles, splendor nullus, nulla denique honesti pulchrique species, cujus in illo non sit, non dico similitudo aliqua & effigies, sed ipsa potius absolutio atque perfectio. Et quia omnis natura studio boni ducitur, omnium studia ad se allicit & vi quadam pulchritudinis infinita rapit ad se universa æmulaque facit suæ laudis, fiuntque ad illum ex omnibus mundi partibus concursus incredibiles rerum exprimere ipsum & imitari cupientium, & pro sua cujusque rei virili parte, suaque ratione imitantium. Neque si vere æstimare velimus res vel per se singulæ vel in unum collectæ omnes aliud sunt, quam de perfectissimo illo, & modis omnibus absolutissimo exemplari quantum licuit, quantumque fas fuit translatum exemplum: hæc Deus.

Quid vero secundum Deum homine vere sapienti, aut majus est, aut melius? At, quo melior est, eo ad plures habet similitudinem. Ego enim sic judico nullam fere esse rem, in qua modo boni species aliqua & splendor appareat, quæ non eo ipso sapientiæ sit similis: tam multis, atque adeo innumeris bonis, atque ornamentis sapientia redundat. Quam ob causam in sacris litteris cœlestis spiritus ad sapientiæ vim declarandam omni fere ex re ducit similitudinem. Nam & aquæ similem dicit esse sapientiam: quoniam quæ cum animis nostris sata una nobiscum adolevit, veri videndi sitim restinguit; &

saluti comparat, quoniam sicut illa corporis, sic ista animi partes omnes continet in officio; & anteponit auro pretiosisque lapillis, quia nullus in auro tantus nitor, aut splendor est, quo non sit multis partibus major in sapientia: & cum multas alias similitudines adducit tum præcipue, id quod mihi ad dicendum proposui, cum luce illam, atque cum sole confert. Quo nihil conferri potuit similius; adeo multa sunt, in quibus sapienti cum Sole, stulto cum Luna convenit: de quibus jam dicere aggredior.

Nam principio hoc Sol à Luna distat, quod Sol totius luminis fons, intusque & extra collucens, totusque non prius aliis lucet quam sibi. Qui est primus ad sapientiam gradus, vel potius tanquam fundamentum, & seminarium sapientiæ, sibi ut quisque luceat prius: conversisque in sese & conjectis oculis, & ad se contemplandum revocata mente, quod Delphis in templo Apollonis pro foribus erat scriptum: se videlicet ipsum noscat penitus, atque exploret. Qua una re maxime differt sapiens ab stulto. In corde prudentis requiescit sapientia, dicebat Salomon, verissimeque dicebat: quoniam non in ore, non, inquam, in speciem sapientiæ præseferente artificiose elaborata, & electis verbis sententiisque constructa oratione quiescit: neque externarum rerum quamvis multarum & maximarum cognitione continetur; neque nititur ventosis sapientiæ titulis & nominibus; sed elapsa penitus in animum, seseque pectori insinuans, & usque ad intimos illius recessus clarissimum lumen transmitens in corde sapientis sedem, atque domicilium habet, inque eo illustrando & ipse, se ut cognoscat, efficiendo præcipue versatur. Nam per Deum inmortalem quid est sapientia ea, si rite definiatur, nisi summa facultas quædam bene & laudabiliter sese ipso utendi? Aut qui fieri potest, ut quis ea re, quam ignorat, utatur bene? Etenim cum

è triplici & diversa natura sit homo compositus, una vegetabili, qua uti arbores, & quæ solo infixa tenentur, alitur homo, atque augescit, variosque & corporis & oris habitus suscipit; altera sentiendi, quæ instructa sensibus & audiendi, tangendi, videndi, magnis facultatibus prædita id affert homini, ut cognoscere aliquid incipiat, voluptatisque & doloris gustum capiat, atque eis moveatur, vel ad appetendum dulcia, vel ad aspera & inimica refutandum. Tertia rationis & intelligentiæ, in qua inest veri cognitio & recti, honestique studium, & summa facultas quædam in utramvis partem homo voluerit, se suo arbitratu flectendi.

Cumque tribus his partibus suus cujusque parti sit propositus finis, vegetabili ut vivat; sentienti, ut suaviter & jucunde vivat; intelligenti, ut sapienter planeque honeste; habeatque proinde earum unaquæque suum & proprium & è diverso genere bonum, in quod appetitione & studio prona feratur; ratio honestum; sensus voluptatem (voluptatem cum dico vulgatam illam & omnibus notam, è molesta re depulsa & adscita jucunda ortam, permulcentem sensus, atque liquefacientem voluptatem intelligo) itaque sensus voluptatem; vitalis vero illa infima & abjectissima pars, id quod ad vitam tuendam & propagandam, conducit, & est utile; sitque quemadmodum animæ tripartita vis, ita corpus in tres partes divissum; quarum una caput est mentis, atque rationis domicilium; altera, quæ costis & diafragmate circumsecta secernitur à reliquo corpore, in qua cor viget sanguine lectissimo fervens, ex eoque conficiens spirituum illam vim, quam arteriis transmittit in totum corpus, qua vi sensus omnes & effectus existunt; tertia quæ à transverso illo septo ad pubem usque pertinet, & inde ad pedes usque protenditur. In qua parte corporis ea membra atque organa sunt, quibus ci-

cibus, quo aluntur atque vivunt animantes, fingitur varie, & transmutatur usque eo quoad is sanguis efficitur, in quo sedes est vitæ. Ut quoniam in mundo hoc, universitateque rerum tres alios mundos concludi conspicimus; & intelligentibus & corpore expertibus animis unus constans; alter æthereos orbes continens, in quo flammeus solis lucet globus, micantque siderum æterni ignes; tertius sub Luna positus in quo alternis omnia oriuntur & occidunt; eadem in homine, qui non sine vera & phisica ratione minor à sapientibus viris appellatus est mundus, sit corporis animæque partitio; & cum è tribus his partibus, quibus homo constat, vegetabili, sentienti, rationis participe, duæ priores cæcæ sint & ferantur in suos fines valde temere interdumque cum sibi ipsis mutuo, tum intelligenti illi parti sint impedimento, atque obstent; ut vel voluptas nimis avide expetita, immodicusque illius usus viribus corporis perniciem atque pestem afferat, vel utriusque & voluptatis & utilitatis indomita, & effrænata cupiditas tenebras offundat dignitati, ipsumque honestatis lumen extinguat; & cum sic ea vis atque natura rationis ut, si se reliquis duabus subjecerit, inservireque cœperit, ita ut eis partibus quidquam cupientibus presto sit ministra illarum cupiditatum & procuratrix effecta, eas cupiditates ex finitis & numerabilibus innumerabiles & infinitas reddat; ipsarumque adeo & numerum & vires augeat, ut in hominis animo tanquam in urbe capta discurrentes pasim & volitantes iræ, odia, libidines, spes, metus, lætitiæ, dolores, tumultu atque consternatione repleant universa: sin vero ratio aliis partibus dominetur tantum unicuique tribuat, quantum cuique necesse est, easque in officio contineat, cumque sit rationi ob eam causam principatus in alias partes à natura tributus, ut illas cum ab intestino tumultu prohibeat, tum ab injuria

aliis

aliis inferenda abstinere faciat: ex quo honestum illud existit, cujus pulchritudo cum animo perspicitur, incredibiles parit voluptates.

Hæc igitur, ad hunc modum cum se habeant in homine, sitque ex tot, tamque variis, & differentibus naturis conflatus, qui se recte usurus est, hoc est, qui sapiens futurus est, ei plane necesse est, se prius, ut cognoscat, & eam quam diximus, humani animi atque corporis descriptionem, & illius partes omnes & unicuique parti tributas vires, ingenium, facultates notas, penitus & animo comprehensas habeat, ut quod principale in homine est, id principem locum tenere velit, cæterisque dominari. Rationem dico, & intelligentiam, quæ æthereo, & divino genere, atque statu edita, cum se erexerit ad cognatas sibi, similesque naturas æthereas, & immortales contemplandas, & illarum rapidissimos motus rata proportione concordes, consentientesque conspexerit, atque illum mundi ornatum, & universi ordinem, seriemque innumerabilium rerum nexarum intersese atque nodis amabilibus illigatarum animadvertit, & inde ad universi auctorem gradum faciens, studioque elata ipsum omnis boni, atque pulchri fontem videndi, aciem mentis suæ defixerit in Deum ipsum, probeque didicerit omnia supera, media, infima ab immoto eo cieri, & in suos quæque fines agi, universaque regi summa æquitate summaque justitia. Hæc igitur intuens, atque his bonis, atque divinis cognitionibus erudita, quem in universo ordinem, consensumque conspexit; quaque mundum regi à Deo ratione summa, temperationeque vidit, ejus ordinis atque rectionis exemplum in se, suumque corpus transferet, ut quemadmodum in mundo Deus, sic ratio atque sapientia in homine præsidens reliquas omnes partes & tueatur & regat; cupiditates pudoris atque honestatis claustris contineat; moderatos omnes affectus habeat; unicuique quod

suum

suum est, tribuat; in rebus quamvis asperis, & difficilibus immota manens dignitatem semper atque decus retineat, hoc est, gignat quatuor illa virtutum lumina, quibus omnis beata vita & efficitur & continetur. Nam quibus sicut Lunæ interius lumen deest, & quibus errorum tenebris circumfussus est animus, hoc est, se ignorantibus stultisque hominibus, quid aliud restat, nisi ut quemadmodum in amatorio illo & divino carmine scribitur, si ignorant se, vel potius quia se ignorant exeant, id est, secum congredi fugiant; seque ipsos exhorreant, & abeant post vestigia gregum suorum, suas nimirum feras & innanes cupiditates sequantur, & quibus imperare debuissent, turbidos animi affectus, eos vivendi magistros, duces, auctores, præceptoresque habeant? Ut alius ignoratione sui cæcus & vitali illi parti totus addictus avaritia inexplebili aurum inhians congerendis opibus, omni modo rationeque insistat. Alius ab eadem ignoratione & errore profectus, & tempestate ad sensus, tamquam ad Syrenum scopulos & saxa delatus, & voluptatis illicibili specie, quasi carmine delinitus, eis perpetuo adhærescens, libidinum æstu atque verticibus rapiatur. Alium ira præcipitet; alium gestiens lætitia efferat; alium dejiciat timor; alium exedat invidia; alium mœror conficiat, ægritudoque maceret; omnis denique ignoratio sui infinitis erroribus implicatos teneat.

Quid ergo? dicet aliquis. Nonne & Luna lucet ipsa? Lucet sane, eoque Solis æmula esse dicitur; sed allato extrinsecus lumine lucet; intus tenebris plena est. Quod est stultis omnibus, id est pravis, & injustis hominibus proprium, ut speciem habeant amplissimam, re ipsa dignitatis omnis & splendoris expertes; & quid enim in speciem lætius atque beatius dici, aut fingi potest illis hominibus, quos Salomon mutuo se ad lætitiam cohortantes, atque dicentes inducit? Venite, & fruamur bonis, quæ sunt vino præ-

tioso, & unguentis nos repleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit, quo non perrranseat luxuria nostra', ubique relinquamus signa lætitiæ. At quantum tenebrarum, quantumque mali, atque miseriæ illis floribus, atque lætitiæ, & vitæ jucunditati subesset, iidem illi, si minus opportuno tempore, vere tamen reque ipsa edocti fatentur: quibus de suo errore affirmantibus æquum est credere. Ergo erravimus, inquiunt, à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. Quid illa de qua in Apocalypsi Joannes scribit, mæretrix femina? Quam honesta facie est? Qua corporis, atque oris dignitate describitur? Quo ornatu? Quo vestitu? Quam pulchro? Quam regali? Utque ex auro factum gemmisque distinctum prægrande manu gestat poculum? At eo in poculo amarissima absinthia, venenum præsens, calamitas, exitium, diritas, mala omnia, & infesta continentur. In qua extat vera stultorum imago, illi enim, & feminæ sunt, & meretrices, quippe qui virtutis quæ á viro dicta est, nervis carentes voluptatis mercede turpi suis se cupiditatibus passim, & fœde prostituunt. Horum vita procul si spectes, vitæque degendæ ratio omnis vehementer splendet: abundant opibus, circumfluunt divitiis, præstant honoribus, florent dignitate, atque gratia; in republica magni in privata lauti, atque copiosi, auro vivunt; gemmis vestiuntur; habent ad manum & ad nutum parata omnia. Horum voluptati, atque deliciis artes, opificia, mare ipsum, atque tellus servit. His epulæ, triclinia, lecti, argentum, vestis, stragula, servorum greges, omnia denique ejusmodi eo splendore elegantia, copia, illos ut facile judices, esse fortunatissimos. At confer gradum proprius, licebit enim, & animi illorum arcana attentius intueri. Proh Deum immortalem! fœ-

dum

dum atque miserum spectaculum! Quid enim videbis aliud præter infinitum agmen curarum, quæ miserum hominem in varias partes distrahunt, atque dilacerant? Quid nisi tumultum & vociferationem innumerabilium cupiditatum in animum irruentium, atque aliud ex alio poscentium, & flagitantium? Quid nisi Scyllaeum quoddam monstruum infima inguinum parte succinctum canibus, qui ipsum continenter morsibus appetunt, atque conficiunt? Quid nisi turpem ignorationem sui, errorum densissimas tenebras, vanissimas opiniones, depravata judicia, flagitiorum maculas sceleris turpissimas notas, & ex conscientia scelerum ortam nubem mœroris perpetui quæ illi misero omne lætitiæ atque spei bonæ lumen eripiens, amaras voluptates, funestas epulas, ingratam lucem, noctes insomnes reddit; neque insomnes modo, sed formidabiles, atque turbulentas? Additur enim ad mœrorem horror, atque formido, & consternatio quædam animi, & consternatione mixtus furor, & insania, quarum jugatione atque complexu constat vindex ille scelerum vermis, & animi sævissimus tortor inest qui ipsum jugiter atque corrodit, torquetque misere, atque eo dementiæ vesaniæque perducit interdum, ut ipse sibi animus videatur haurire oculis tetras, & terribiles quasdam species, & collucere omnia tædis ardentibus credat, dirisque, & intemperiis agitetur. Quantum externis copiis illustris, tantum internis malis teter, atque misere, ut nihil cum his conferri possit, quam Luna similius. Sed ad priora veniamus.

Quantus, quæso, est in nostro isto ordine insignibus titulis, professione expressus, & comparatus sapientiæ splendor? At sub splendore isto quantæ interdum animorum tenebræ delitescunt? Quam multi sapientes se esse profitentur, à quo absunt longissime, quod est stultitiæ genus maximum? Et quid enim stul-

tius esse potest, quam sapientes videri velle, re ésse negligere? Et cujus vim pro nihilo habeas, ejus nomen gloriossum putare? Etenim si ex præclaro illo, & honorabili bonorum genere sapientia est, sapientem esse quam dici præstabilius est: sin ea vim nullam habet, quid potest esse in nomine, quod tanto studio curaque sit dignum? Nam si id dices, te, quam profiteris, re ipsa præstare sapientiam; neque haberi, aut dici modo, sed re esse sapientiam, cur, ut levissima quæque dicam, te tantopere ignoras? Cur te tam dejicis, ut quos docere, quosque regere debuisses, illis ita misere servias, ut illorum favoris colligendi cura vel causa, nihil quanvis turpe, atque vile tibi non faciendum atque subeundum putes? Cur à sapientis constantia atque gravitate tantum discedis, ut te levissime ad singulorum juvenum, & pene puerorum nutus acommodes? Huc, illud, verses te, torquesque corpus, vultum, vocem, sententiam, orationem, ut ille parasitus è comædia fingas ad singulorum rationem? Cur, inquam, si sapiens es, tam à virtute & veris bonis es destitutus, ut pendens ex aura populari, ejus rumores omnes ita captes, ut quod doctrinæ præstantia assequi nequis, te ut homines in aliquo pretio habeant te ipse commendando prædicandoque, & ad singula, quæ dicis, notas quasdam illustres apponendo: hoc pulchrum est: valde illud reconditum: nihil hoc acutius dici potuit; si desis non passim hoc; atque hujusmodi miro sane artificio, sed tamen ridiculo: quis enim id non intelligit, te ut homines admirentur effecturum putes. Cur, inquam, cur? Quo justitia bonisque meritis niti non potes, largitione atque pecunia per summum scelus pervenire contendis? Neque animi tantam labem horres, neque perjuram conscientiam times, neque quam multos sceleris contagione inficias vides, neque vindicem Deum metuis; aut quod nisi cæcus, & quod minime dici vis,

vis, stultissimus esses, videres plane, exemplo multorum quibus ea res pessime cesserit, commoveris? Cur rursus si sapiens es, animo es, vel tam pusillo ut invideas omnibus, vel tam perfido & conscelerato, ut quod eo tempore quo in hoc collegium cooptabare, conceptis verbis jurasti, te habiturum antiquissimam existimationem, dignitatem, honorem, commoda singulorum tui ordinis hominum, id quasi secus jurasses, nihil libentius facias, quam cum illorum existimationi quasi luminibus officis, cum opinioni detrahis, cum obstas commodis, honores obscuras, satis ut appareat te nulli hominum magis, quam tui ordinis viris esse infestum expetereque avide, atque arripere omnes causas illis quacumque re incommodandi? Cur denique, ne singula persequar (sunt enim infinita, quæ vulgus, & ignorantissimi homines bona, aut mala esse judicant) eadem tu pro bonis, atque malis ducis? Cur ab stultorum judiciis & studiis judicia tua & studia non differunt? Ames tu mihi eadem, quæ imperitum vulgus, admirere eadem, eisdem afficiare, studeas avaritiæ, servias ambitioni, te totum constringendum voluptatibus dedas, regendumque permittas sensibus & affectibus tuis, itaque vivas, ut ex asotorum grege nemo te sit, vel nequior, vel inquinatior, & quia Magister vocaris, aut haberis Doctor, te tuo muneri satisfecisse, esseque sapientem putabis? Remove mihi istos sapientiæ inanes titulos: ventosa ista vestra & fallacia nomina & insignia nihil moror. Ne fallare; stultus es quisquis studiis atque judiciis stultis similis es.

Sed pergamus ad reliqua. Sol suo & proprio lumine collucet; Luna alieno & non suo. O vere divitem sapientiam! O stultos semper egentes, atque mendicos! Semper enim commodato vivunt, & quia vero splendore vacui sunt, semper è vicino, atque proximo lumen petunt; confugiuntque ad externa

opum,

opum, honorum, voluptatumque auxilia; à se & à vera bonorum copia imparati & destituti. Nam qui ad lucra & ad divitias intentus, nulli neque periculo parcit, neque à scelere abstinet, genium suum fraudat, itineris magna pericula subit, & ad remotas à sua domo terras quæstus causa navigio sæpe defertur, despoliat alios, alios circumducit, nullum neque fœdus, neque jusjurandum sanctum habet, hunc hominem quis non videat, summa quadam egestate premi, idque agere omni ratione, ut eam à se propulset? Rursus, qui ad honores aspirant, cum ambiunt, cum rogant alios, cum omnibus se submittunt & serviunt, quid aliud sunt, quam mendici, & quidem valde molesti, atque improbi? Nam illa, qua qui voluptates sitiunt, laborant, quanta est, & quam turpis mendicitas? Ardere amore, & nescio quas levissimas nugas pro Deo colere, petere, orare, se miserum dicere, lamentari, gemere, suspiria ducere, lacrymas fundere, denique emori velle, atque cupere? Numquam enim profecto, nisi inopes valde essent & verorum bonorum egeni, nisique egestatem animi sui & egestate accensum desiderium arcessendi sibi & derivandi in sese speciem dignitatis aliquam, & splendorem ex eo quod bonum ipsis & optandum videtur, sedare atque satiare vellent tantum suum studium, totque curas in ejusmodi rebus collocarent, atque consumerent. Illa enim cupido atque sitis exurit miseros, quam quia quomodo sedare possint, neque modum inveniunt, neque copiam ullam veri atque boni habent, se extra effussi ob ipsas quasque res, stipem rogant, opemque ab illis & solatium petunt, atque ut ille dives epulo dum cruciabatur in flamma, sic isti cupiditatum suarum incendia non ferentes, ad ardorem animi sui atque cruciatum aliqua ex parte minuendum infundi sibi in os vel aquæ paululum maximis clamoribus flagitant. Quamquam multo ille quam isti sapien-

pientior, opem enim petebat ab eo, qui & plurimum apud Deum gratia & auctoritate pollebat, & maximis atque verissimis voluptatibus, à levissimis honoribus, à fallacissimis divitiis, hoc est à rebus vanissimis, & usque adeo alienis ab eo bono cujus consequendi cupiditate flagrat humanus animus, ut quamvis universis illis in unum locum congestis omnium earum fruendarum uni homini fiat potestas, aviditatem illius satiare non possint. Quapropter merito apud Prophetam Dominus de eorum insania cæcitateque conqueritur, qui se vero bono relicto, fallacia ista bona studio persequuntur. Dereliquerunt me, inquit, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ non possunt continere aquas. Quo ad dementiam hominum exagitandam, nihil dici potuit vehementius. Etenim si insani hominis est à minimo non discedere, quamvis ingenti proposito bono, à Deo bonorum omnium fonte discedere, eumdem deserere propter fallacissima bona cujus erit dementiæ? Et quidem, si ejusmodi esset homo, ut aut nihil ipse appeteret, aut satis in se præsidii atque copiarum ad se tuendum, suasque cupiditates explendas haberet, illi Deum & cœlestes opes negligenti veniam forsitan dari posset. At cum & infinitis rebus egeat, & eas omnes ardentissime appetat; neque recusare possit, quin eas aliunde quesitum eat; habeatque omnium illarum in Deo paratam, promtam, summamque copiam; quis illi ignoscat, ipsum cum videat nolle haurire à Deo fonte peremni & inexhausto, & rivulos tenues sectari? Rivulos dixi: immo stagnantes lacus, aut ne id quidem, sed cisternas dissipatas, quemadmodum divinus vates elegantissime dixit. Nam quemadmodum illæ in agri parte aliqua forte fortuna positæ, & ab iis, qui iter agunt, fessique in via sunt, procul vissæ, primum spem illis injiciunt, non defuturam aquam cujus haustu suam lassitudem levent: deinde ea spe de

instituto recte itinere divertentes eos, & proprius accedentes deludunt (qui enim non deludant, aut qui aquam contineant rimis & foraminibus plenæ?) Sic ista quæ vulgus appellat bona, divitias, honores, voluptates, quicumque vera virtute vacui, sitique enecti ea procul aspiciunt, sibi promittunt, ea si assequantur, fore ut vitam degant omnibus bonis affluentem, atque beatam. Itaque deflectunt de via beatæ vitæ, iter rectum relinquunt, seque & studia sua omnia ad eas res conferunt atque adjungunt; neque prius desistunt, quam omnibus illis, aut maxima ex parte plurimis bonis partis possessis, exploratis inanitatem animi sui, non modo non complexi iis rebus, sed inaniores quotidie effici, magisque ac magis suam illorum aviditatem atque sitim accendi, re ipsa edocti cognoscunt. Quod cum cognoscunt, tum demum vel sero sui erroris admoniti, graviterque dolentes fallacia illorum bonorum promissa fuisse, spes suas inanes, suos labores irritos, se opinione falsos, spe frustratos, miseros atque infelices esse quæruntur.

Itaque stulti, quia suo lumine carent, alienum petunt, & quia petunt ab iis rebus, in quibus verus splendor nullus est, petunt semper, rogantque aliud ex alio, suntque & pauperes, & mendici. Quo ex errore atque malo serie quadam aliud malum sequitur, numquam ut sibi constent stulti: cum contra sapientis gravitate atque virtute nihil possit esse constantius. Cujus item rei in Sole atque Luna magna apparet similitudo. Ille enim eodem modo splendet semper, Luna numquam eodem, sed menstruis spatiis suos orbes conficiens; & aut crescens semper, aut senescens singulis diebus luminum varietates habet; aucta modo, modo obtusa, nova, dimidiata, plena, intermenstrua, atque silens. Cor, inquit, impii tamquam mare fervens. Nusquam enim mare, quamvis sævientibus ventis agitatum, atque commotum tot

mo-

motus & tantas agitationes fluctuum habet, quot perturbationes & quantos æstus habet cor stultorum. Læti modo atque alacres, modo tristes, atque demissi, nunc superbi, elati, importuni; nunc dejecti, atque supplices; iidem & severi & leves, duri, atque faciles, attenti ad rem atque profusi, denique omnibus cupiditatum quibus se misere ferendos, atque agendos permiserunt, & quarum non major multitudo est, quam inter ipsas dissensio atque dissidium, ventis atque turbinibus expositi. Ut vere de illis dictum sit: destruxisti maceriam ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem, diripuerunt eum omnes transeuntes, viam factus est opprobrium vicinis suis. Hæc stulti.

Nam, qui sapiens est, totus ex se aptus & vitæ suæ cursum omnem ad rationis lucidissimum sidus, tanquam ad certissimam illam Cynosuram dirigens neque ab itinere errat, neque cursum institutum mutat, neque tempestates ullas aut aberrationes patitur, nusquam à constantia mentis suæ aut à firmo rationis statu dimovetur. Sed quemadmodum florens illa, & beata Hierosolymorum civitas, cujus D. Joannes cœlestem imaginem vidit, è solido auro constructa erat figura quadrata & cubica; sic sapientes, quorum in animis atque mentibus numen habitat, & ex auro toti, sibique omni ex parte similes eam figuram referunt, quæ ex figuris omnibus maxime facit stabilitatem; estque vere sapiens, quemadmodum esse predicatur, lignum plantatum secus decursus aquarum. Satus enim ad sapientiæ peremnes ductus & ex ea hauriens, quantum ad beatam vitam est satis, semper vivet, floret semper, nullaque aut cœli, aut ventorum injuria foliorum decus suum atque virorem amittit; eumdem semper vultum, atque eamdem divini pectoris celsitudinem atque tranquillitatem uno & perpetuo te-

nore retinens, atque conservans. Atque, quemadmodum stultorum omnis laus atque lumen tandem extinguitur, peritque memoria illorum cum sonitu; nihil enim quod ipsum secum pugnet, atque dissideat potest esse diuturnum: sic contra sapientes, quorum omnis vita apta undique est secumque consentiens, in laude, in gloria, in celebritate perennant mortuique vivunt; & quæ universis rebus interitum atque oblivionem afferre solet dies, ea illi vigent magis. Illos suæ ætatis homines summis laudibus celebrant, posteri divinis honoribus colunt, sæcula omnia atque gentes intuentur, & quo plures ab ipsorum morte fluxerunt anni, eo altiores atque firmiores in animis atque mentibus hominum radices agentes, florescunt sæculis innumerabilibus, atque immortali gloria sempiternaque circumfluunt.

ORA-

ORATIO FUNEBRIS

Habita in Exequiis Magistri Dominici Soti, Segoviensis, per Magistrum D. Ludovicum Leonem ex Instituto Divi Augustini Theologum Salmanticensem, doctrina & eloquentia insignem.

Præstantissimo & amplissimo Domino Lopio Leoni, Senatori Regio, viro generoso & undecumque doctissimo Gaspar Beatius.

S. P. D.

Cum pridem in musæo tuo te de variis rebus, prudentissime simul, & humanissime disserentem, Leo vir modis omnibus incomparabilis, protulisti (quæ tua est humanitas, & in me benevolentia singularis) Orationem funebrem qua Domini Soti Segoviensis, Theologi celeberrimi, mortem deplorat D. Ludovicus Leo, Monachus, Theologus, & Rhetor eloquentissimus, & quod pluris facio, tuus, hoc est, sapientissimi Patris filius sapientissimus, legi quidem & relegi eam, neque id profecto sine admiratione quadam: ita ser-

mo totus à capite (quod ajunt) usque ad calcem ingenium vividum, velox, promptum & argutum præsefert; doctrinam raram, pietatem eximiam, eloquentiam insignem ac prorsus admirandam. Tractat quidem ille præcipuas Christianæ Philosophiæ partes: nimirum hominem ex sese miserum, cæcum, infirmum, mortis ac peccati auctorem esse: deim opes, genus, doctrinam, potentiam absque pietate, res esse inanes. Ad hæc piorum mortem januam immortalitatis, & ad cœlestem vitam aditum esse. Hæc ille tanta perspicuitate, tanta copia affectuque tam vehementi disserit, exprimit, inculcat, ut attente legens facile deprehenderim, ea sibi non in primoribus nasci labris, sed ab intimis animi recessibus proficisci. Deinde ingenii venam non modo facilem esse, verum etiam divitem, ac benignam. Quid enim nunc prædicem pium, & omne sensus delinientem orationis fluxum, acrem, vehementem, uberem, limpidum & amænum? Delectavit me super omnia magnopere singularis quædam relucens ingenii sanitas, quæ nihil unquam hiulcum, aut abruptum, aut inconcinum, aut frustra repetitum residere patitur. In summa: cum eorum omnium qui apud nos doctrinæ & eloquentiæ nomine claruerunt, monumenta revolvo, neminem equidem invenio, quem dicendi facultate cum Leone tuo conferre ausim. Antonius Nebrisensis vir abstrusæ eru-

di-

ditionis fuit: sed tamen grammaticus phraseos insipidæ & elaboratæ, ab eloquentia saltem insigni procul abfuit. Melchior Canus Theologus Dominicanus stylum habet parum felicem, ac prorsus scholasticum. Affectavit eloquentiam Bartholomeus Mirandensis, Toletanus Archiepiscopus, sed irato, ut apparet, Mercurio. Omitto Castrios & Victoriam, illum, qui præter humile orationis filum & crebras batologias, desinere nescit; hunc dilucide, ac simpliciter, potius quam ornate, aut splendide dicentem. Rursus hic Dominicus Sotus, quem vel hujus viri præconio inter felices & claros numeros infantissimus fuit, & plane balbutiens, stylo inamæno, duro, ac plusquam ferreo. Quod si ad hanc numeris omnibus absolutam orationem Dominici lucubrationes conferas, lusciniam audies modulantem, & corvum erocitatem. Quare, vir amplissime, quo (absit hinc omnis adulatio) nihil habet Europa doctius, prudentius, aut rarioribus ingenii dotibus, gratulor & ecclesiæ talem Theologum, & tibi talem filium, & doctis talem Patronum. Leo Leonem genuisti, cujus vocem (ni me fallunt omina) audiet etiam posteritas. Effice igitur obsecro, ne pereat ista felicissimi soli spes, ne intereat inepta divitis spectatio. Quinimo perpelle hominem, ut siquid aliud habeat hujus generis, ut habebit plurima, in studiorum utilitatem, typis evulget. Interim accipe

li-

libellum hunc clarissimi filii tui fœtum, distinctis potius quam aptis, aut politis caracteribus continentem, ut secretioribus horis de morte, de virtute, de vita beata, de vanitate hujus seculi, filius facundia, doctrinaque præcellens cum patre doctissimo colloquatur. Bene vale vir immortalitate dignissime. Granatæ Calendis Aprilis anno à Virginis partu millessimo quingentessimo sexagessimo primo.

ORA-

ORATIO.

THEMA.

Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors.

Ad Rom. 5. *vers.* 12.

Et pie & grate, & prudenter fecistis, viri sapientissimi qui hujus vestri ordinis hominibus, è vita decedentibus, hac pompa funeris exequias celebrandas, eosque in concione laudandos sanxistis. Nam & pietatis est severum Dei judicium suavitatis subeuntes homines sacrificiis juvare; & gratitudinis quibuscum vixeris, quibusque cum ampliisimi ordinis societate conjunctus fueris, eos morientes honoribus atque laudibus prosequi. Et est certe prudentia, quo in se quisque vestrum animo atque mente cæteros esse cupiat, talem se cæteris, si quando usus venit, præbere. Quod, si ulli unquam docto & magno viro hoc munus à vobis tributum est, nulli utilius quam Magistro Dominico Soto, cui in præsentia justa persolvimus, tributum est. Sive enim in hoc illi honorem habemus, nullus tantum est, quo non majore illa divini viri virtus, atque sapientia sit digna: sive beneficium damus, plurimis & egregiis illius in hanc rempublicam meritis debitum præmium persolvimus; sive potius in hoc consolatio quædam, & levatio nostri mæroris est, ea tanto hoc tempore magis necessaria est, quanto in majori cum Teologici ordinis, tum studiorum omnium clade & interitu, alienissimo Christia-

tianæ Reipublicæ tempore ereptus, tristes nos omnes & desolatos reliquit. Nam quis obsecro tam ferreo pectore est, tam ab omni humanitate & pietate semotus, qui illud columen sapientiæ concidisse, tantum lumen virtutis, tam subito extinctum esse non doleat? Mihi quidem certe etiam propria ratione est dolendum, qui ab eo ultimus eorum, quos quidem ipse fecerit, Magister factus & in hunc vestrum ordinem coptus, more majorum & parentis loco illum habeo, & ut parentem optimum amissum defleo. Quod si id plerumque usu evenire solet, ut parentes eos filios, quos in senectute genuerunt, ardentius ament, ut par est credere me illi quem ultimo loco summa sua senectute genuerat, non plane invissum fuisse, ita certe est verum, & me de ejus morte magnum dolorem cœpisse, & à quo habeo ut apud vos loqui possim, ei meam hanc vocem deesse apud vos non debere.

Sed quid agam? Sotum laudem? An potius humanæ vitæ miseriam & fragilitatem deplorem? Illud certe quod & illi gratissimum, & vobis utilissimum futurum arbitror faciam, ut meam orationem ad ea, quæ proposui divina Pauli verba interprætanda convertam. Ut cum multa de hominis miseria dixero, nonnulla etiam de hujus viri laudibus dicam. Quæ & dum dico, quæso diligenter attendite; & quo melius dicam, mecum divinum auxilium Diva Virgine ad id interpellatrice adhibita solemni ritu, atque verbis implorate.

Inter alia, quæ homini utilia & beatæ vitæ efficientia sunt, constat nihil, aut utilius esse, aut ad bene & beate vivendum efficacius, quam se unumquemque, quis sit, bene & perfecte cognoscere. Nam summam hominis felicitatem maximarum & altissimarum rerum & in primis beatæ illius, & præpotentis naturæ quam Deum vocamus, clara cognitione

ne

ne & intuitione contineri omnes concedunt: eo autem commodissime & brevissime perveniri ab hominibus, & ex sui cujusque cognitione ii demum intelligunt, qui ejus rei periculum aliquando fecerunt. Itaque divinum numen in his litteris, in quibus per sanctos sibique claros homines verum gloriæ & felicitatis iter nos docet, nulla de re aut crebrius aut diligentius nos admonet, quam de eo uti nos decet intueamur & agnoscamus. Nec solum admonitione & præceptis id agit, quæ & multa sunt, & multis in locis sacrarum litterarum crebro repetita; sed multo etiam magis quadam humanæ & conditionis, & vitæ & morum imagine omnibus suis lineamentis, magnaque orationis ac translationum tum varietate tum copia descripta & ante nostros oculos posita id facit. Nam & principio rerum, ne qua ratione in oblivionem suæ ignobilitatis homo venire posset, qua ex re initio fictus ille formatusque esset, ex ea appellatione desumpta, nomen illi imposuit. Adam enim (quod fuit nostri generis Principi à Deo artifice inditum nomen, ab Adama Syra voce quæ terram declarat, deductum) idem quod terrenum, aut è terra factum significat, ut illum quoties aliquis compellasset, toties sui generis, atque ignobilitatis illum meminisse necesse sit. Noverat scilicet humani generis auctor & effector Deus, quanta in fragili illo & terreno corpore vitiorum & malorum omnium seges materiesque inesset, qui fastus, qui spiritus, quæ elatio animi, quanta & quam turpis ignoratio sui. Itaque huic malo occurrens, qua re hominem maxime usurum, quamque crebrius usurpaturum, vel semper potius habiturum in ore, atque in lingua videbat ea ut perpetua admonitrice, & tamquam magistra modestiæ uteretur voluit. Et id, quoniam re ipsa postea intellectum est, parum valuisse; (nihil enim magis modestus & sui

memor homo factus est; sed impia potius & stulta cupiditate inflammatus, boni & mali divinæ parem scientiam assequendi quam pro conditione sua majora affectavit) igitur quoniam id parum valuit, seque homo suæ conditionis admoneri uno verbo noluit; Deus illi, qui esset, cum experientia malorum quæ plurima & acerba in vita tulit, tum vero apertiori oratione, pluribusque verbis, copiosus & disertus exposuit. Nam Salomon in Ecclesiaste toto illo opere omnia hominum studia vanitatis & postremæ dementiæ condemnat; non regum opes probat, non infinitam potentiam, non dulces voluptates, non superbas constructiones, non amœnissimos hortos, non ciborum exquisitas delitias, non filiorum cara pignora, non denique optimarum artium, & rerum abstrussarum cum maximo labore conjunctam disciplinam. Vanitas, inquit, vanitatum, id est, vanissima. Deum time & mandata ejus custodi, hoc est, omnis homo. Et Job ipsis malis edoctus, optimus & tolerantissimus vir idem copiose facit. Homo, inquiens, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet, in quo nullam humanæ historiæ partem videtur prætermisisse natalium & generis sordes, usuram hujus lucis, tum brevem, tum infinitis miseriis implicatam, laboriosum simul atque celerem vitæ cursum commemorans. Sed si vera illi quidem sed tamen ea dixerunt, quæ pervia atque in promptu essent. Itaque qui unus rem hanc cum alte & à capite, tum vero breviter & perfecte explicaverit, is mihi semper D. Paulus, his quæ à me proposita sunt verbis, est visus.

Per unum, inquit, hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, ut hac in oratione

ne tamquam in speculo se homo quid sit, quidve possit aut valeat, intueatur. Nam rerum omnium naturas ex operibus, & effectibus earum optime cognosci solere, certum est. Itaque quæ humanæ naturæ ratio sit, quæ & quanta vis, res ab homine bene & præclare gestæ docebunt. Nam profecto cum varia hominum studia sint, multæ artes, plurima & egregia humanis laboribus edita & confecta opera, tamen quod homo sibi uni adscribere, quodque suum & bene proprium possit dicere, nullum est præter peccatum & mortem. Cæteras enim res non tam homines faciunt, quam per homines fiunt: quandoquidem (ut omnia alia prætermittam) auxilia, apparatus, instrumenta, præsidia, maximam, atque præcipuam omnium operum partem divina vis sibi vindicat, quæ movet atque ciet universa. Itaque aliæ res homine, vel comite, vel adjutore geruntur. Ad hujus autem operis id est peccati, atque mortis communionem & societatem, ne Deum quidem ipsum admirit. Ipse sibi & Dux, & comes, & auctor operis est. Quocirca si in his rebus peccato, & morte magna aliqua & excellens vis est, si egregium artificium, si insigne, si laude dignum, si aliquid quod artificis, aut summum ingenium, aut singularem artem præseferat, magno sane in pretio habendus est homo, præclare & magnifice, tum de illius bonitate, tum vero de ingenio & arte sentiendum. Sin autem his duobus nominibus quidquid mali, quidquid duri, quidquid asperi, acerbi, amari, in vita est, continetur, sibique ista non solum maxima malorum sunt, sed ita porro vilia, exilia, tenuia, infelicia, ut non quid maxime posset, sed quam infirmus & imbecillus esset, his efficiendis demonstret: quid habet homo, quo suæ infirmitati & imbecillitati prætexat? Age ut voles, teque & tuas res ambitiose commenda, jacta opes, potentiam ostenta, glo-

riare de natalium tuorum splendore ; aut quæ propria sunt , vires corporis , robur , formæ decus , ingenium solertiam & multarum ac maximarum rerum prope divinam scientiam commemora : numquam profecto tibi tantum laudis ambitio , mendax adscribet , quantum una illa , sed vera , ac divina Pauli vox detrahit. Et peccati & mortis effector es. Nam illa vel externa sunt , vel aliena , vel non tuo abs te labore & industria parta : sed ad breve tempus ut iis fruare commodata. Quod tuum vere possis dicere , quod tuo ingenio & labore confectum de quo si libet gloriari, & in quo jure tuo jactare te possis , illud unum est quod peccati , atque mortis primus & solus auctor, effector & in vitam invector fuisti , hoc est , re ipsa, quam nihil posses , nihilque saperes , immovero quantum desiperes , ostendisti , magnumque tuæ & ignobilitatis , & imbecillitatis argumentum & documentum dedisti. Nec solum in eo , viri sapientissimi, imbecillitas humani ingenii , & ægritudo perspicitur , sed multo magis etiam declaratur infelicitas ejusdem atque miseria. Et imbecilli est nihil quod laude dignum sit , posse ; at quod perniciem sibi , & pestem allatarum sit , id tantum posse , est infelicis & miseri. Non enim homo cum mortem & peccatum fecit , quod nulli usui futurum erat , id fecit , sed ea potius edidit, quæ cum ipsa persese maxima malorum sunt , tum maxime in sui auctoris caput recidunt , eique nocent, vitamque illius omnem infinitis malis fœdant , atque perturbant. Ab his enim duobus tanquam fontibus reliqua omnia mala quasi rivi deducti in vitam nostram redundant. Hinc morbi , hinc ægestas , hinc fames, hinc exilia , proscriptiones , cædes , hinc odia , disidia, bella , regnorumque & imperiorum commutationes & eversiones existunt ; quidquid homines fugiunt , detestatur , exhorrent, sibi ipsis aceptum referre debent. Quaprop-

propter si te aut morbi acerbitas vexat, aut dura servitus premit, si hostis imminet, si exilium, si mors, noli in culpam vocare Deum, noli injustum dicere. Quidquid enim inimicum facit tibi infestum adversum, hostile est, & tuum est; illud potius ex te qui sis, & in his pœnis tuam culpam agnosce, animumque tuum ad patientiam & tolerantiam confirma: dicitoque cum Davide: Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. Quæ fuit regio vati cum magnis calamitatibus premeretur sæpius vox usurpata; ac si diceret, tametsi omni hora, atque singulis momentis de capite, deque omnibus fortunis periclitер, (nam figura illa verborum summum vitæ discrimen ab Hæbreis declarari solere docent, qui ejus linguæ norunt proprias rationes). Licet ergo ab ineunte mea ætate in summis malis jacuerim licetque sæpe fuerim ab improbis & sceleratis hominibus impetitus, impugnatus, vexatus, tamen legem tuam non sum oblitus. Quæ mihi acciderunt, ea meis flagitiis deberi judicavi, nullam ob eas res culpam in te transtuli, non inquam accusavi justitiam tuam, nullum convitium tuæ bonitati feci, non de te sum conquæstus, non innivi impia & nefaria consilia, neque aliquid gravioris sceleris adversum te concepi, non denique de tua præstanti bonitate difisus quemquam hominum mihi esse volui, aut salutis meæ defensorem, aut depulsorem periculorum; nisi à se homines lædi non posse, & nihil aliud præter id posse, id est, modis omnibus imbecillos & misserrimos esse cognovi.

Audistis quæ hominis imbecillitas, & miseria sit. Jam ejusdem vel injustitiam, vel ignorationem vel certe utrumque videte. Nam cum peccati, atque mortis homo parens & effector extiterit, multoque magis peccato quam morte lædatur, sitque peccandi libera elec-

electio, moriendi autem conditio necessaria; tamen peccatum in deliciis habet, mortem autem & velis & remis fugit: utrumque se esse injustum & ignorantem declarat. Nam & fœdâ stultitia est, quo maxime lædaris, id in primis carum habere: contra autem, cujus nulla recusatio sit, nulla fuga, id toto animo perhorrescere. Et est profecto reprehendenda injustitia, quos ex te genitos, domi tuæ natos, penes te educatos duos filios, nimirum peccatum & mortem invisa sane pignora & infelicia sustuleris; quosque idem genus communis parens, similis educatio, pares fecerit eos tam dispari loco conditioneque apud te esse. At qui decebat, vel utrumque odisse, vel utrique ex æquo facilem, & indulgentem præbere. Si mortem, licet in sinu tuo natam, tantopere aversaris, & fugis, cur peccatum amas, tum mortis, tum malorum omnium seminarium, atque caput? Aut si peccati tam cupidus es, cur hostili odio mortem prosequeris quæ peccatum sequitur tanquam umbra corpus? O injustitiam summam! O certe cæcitatem & puerilem & miserandam! Itaque hoc illud est, cujus causa Divus Paulus nos admonet dicens; nolite pueri effici sensibus. Nam quemadmodum pueris, & infantibus propter rerum ignorationem accidere solet, ut summa & postrema pericula læti gaudentesque adeant, & vel gladio se intrepide induant, vel in flumen vel puteum per ludum desiliant, & iidem innani & ficta timoris specie objecta expavescant, metu rigeant, quiritentur ploratus, cieant, totoque corpore, & omnibus articulis contremiscant; sic nos omnibus pueris ignorantiores vera & expresa mala nihil fugimus. Fugimus, dixi, imo sequimur adsciscimus, omniaque nostro studio atque cura fovemus, fictis autem & inanibus & præter umbram quamdam, atque imaginem mali, nihil aliud habentibus permovemur. Pau-

per-

pertatem, quæ nomine quidem aspera est, re non æque, in postremis malis ponis. At virtute, hoc est, veris animi bonis ægentem esse pro nihilo ducis. Vexationes, morbi & corporis atque sensuum cruciatus reformidas; at vitia animorum quibus nullum genus morbi est perstilentius, etiam amore prosequeris. Vitam procul patria degere, grave est; at exulem cælo, Deoque & Divis omnibus invisum vivere interdum est voluptati. Mori miserum judicas; at cum in alienam domum dedecus infers, cum alienam pudicitiam expugnas, cum fratrem pecunia circumducis, cum vocem, sententiam, suffragium, venalia habes, cum largitione comitia corrumpis, cum omnia tui causa faciens ad teque referens, res aliorum ex tuo tantum commodo, non ex æquo & bono metiris, cum simplicem hominem, qui se tuæ fidei crediderat, fœdissime ludis, præsentem vana spe jactas, absentis causam oppugnas, & dum utrique probare te & venditare studes, falsis delationibus & criminationibus inter sese utrosque comitis, cum alienam vexationem atque molestiam tuam voluptatem ducis, cum ferum & omnis humanitatis sensu carentem animum tuum miserorum ærumnis atque lachrymis pascis, cum scortaris, cum pejeras, cum bellum Deum & homines infers, beatus tibi & felix videre? Quid? Febre ardere, quam æstuare libidine, servitute premi, quam vitiis violentis & imperiosis dominis fœde servire, corpus extingui, quam peccare, quam hominem evertere gravius & pejus ducis? Quid? An non tuum opus mors est, non tuo labore & ingenio in vitam inducta, non te patre digna, non etiam si verum fateri licet, optime de te & præclare promerita, quæ te semper, vel vitæ turpi eximet, vel in veram felicitatem inducit; quæ ista morum cæcitas & perversitas est?

At scio, dices, morte vitam extingui, eaque fie-

ri, ne diutius hac luce, qua nihil est dulcius, perfruamur: quo quid miserius esse potest? Quid? Peccatum nonne & ipsum in summas angustias vitam adducit? Nonne meliorem, atque majorem vitæ partem secum aufert? Ego enim sic judico, minimum esse vitæ quod morte intereat, si cum ea parte, quæ peccatis & flagitiis amittitur, comparetur. Nam cum vitæ totum spatium in tria tempora distributum sit; pars enim quædam illius præteriit, pars instat, pars speratur futura, quarum partium, quæ elapsa est, quæque speratur magnæ sunt; præsens autem, & instans ad punctum temporis durat: mors præsentis, id est brevissimi temporis usum tantum eripit. At peccata, & memoria recordationeque sui nullum ex ante acta vita fructum capere sinunt, & timore adventantis, & impendentis supplicii futurum tempus ingratum & invissum reddunt: præsentis tantum temporis blandimenta mox abitura, & evanitura relinquunt: aut ne relinquunt ea quidem, sed utroque, & præteritorum malorum memoria & timore futurorum etiam illam brevem atque fugacem voluptatem corrumpunt, hoc est, vitam è vita tolunt, eamque extingunt omni morte celerius. Non longum faciant, vel hos uniuscujusque vestrum sensus appello. Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis? Aut quam spem vobis in futurum tempus bene & ex voto vivendi impendentium malorum horror, & formidatio reliquam facit? Quis ita insanus est, qui malæ actæ vitæ sibi conscius, & cum animo suo præterita flagitia reputans quo tempore turpiter vixit, se credat vixisse? Qui vitam in nequitia consumptam, peccatorum maculis turpem, flagitiis contaminatam notatam sceleribus, sub vitiorum sæva tyranide actam vitam putet? Nam quis nescit, quanta male actorum memoriam amaritudo sequatur, qui angor, qui dolor, qui & quanti cruciatus

tus, tum timor impendentis supplicii in quos æstus animum, & in quam desperationem inducat? Ut hinc timore, illinc desperatione homo constrictus sæpe in hasce voces erumpat, miserum me, quid feci? Quibus in studiis vitam consumpsi? Quantum pretiosi temporis quam turpiter perdidi? Tot me dies, tot annos, tanta vitæ spatia infœdissimarum rerum studio posuisse! O me frustra natum! O me amissam vitam! Aut certe in quas illi, quos spiritus sanctus in inferno loco positos lamentantes inducit, quid profuit nobis superbia & divitiarum jactatio, quid profuit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam navis quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus cum præteriit, non est vestigium invenire: sic & nos nati continuo desivimus esse, & in malignitate nostra consumpti sumus. Quis igitur sanus ejusmodi vitam non libenter cum morte commutet? Quippe vivere non tam spiritum ducere est, quam apte & convenienter ad tuam naturam vivere, tuo jure utentem, tuis sensibus atque membris, gravissimis animorum hostibus, & totius vitæ perturbatoribus metu, angore, & desperatione vacare. Quæ quidem mala qui ex peccandi usu contraxerunt in mediis etiam divitiis & voluptatibus positivis moriuntur; semel cum hujus vitæ verum fructum amittunt, iterum cum ex hac vita decedentes perpetuis miseriis, atque pœnis torquentur. Itaque mors eam vitam finit, quæ præsens est; at peccatum, tum hanc, tum illam, quæ post futura est, extinguit. Quamquam ego in præsentia non tam mortem laudo, quam illud in pari causa disparem conditionem non debere esse contendo. Est mors malum fateor; adde etiam si placet grave durum, asperum horribile malum. Quod times non reprehendo. Quod vitandam, & fugiendam censes etiam laudo.

Illud cæci, illud injusti, illud insani hominis esse dico, qui mortem fugiat, eumdem peccatum à quo tamquam fonte mors derivata est, charum habere: Mortem fugis? Age illius fugiendæ certam te & compendiariam rationem docebo. Fuge peccatum. Vis planius dicam? Peccato morere, abduc animum à sensibus, à corporis societate mentem disjunge: & quemadmodum, qui mortui sunt, quantumvis clames, nihil sentiunt: sic tu ad vitiorum importunas interpellationes ne senti. Ira clamat vindictam; ne audi. Sese objicit divitiarum & honorum amœna species; ne aspice. Ut se ad eas blande voluptates rogant; gradum siste. Imaginem quandam mortis in tuis factis, atque moribus exprime, & ut vitare possis mortem, mortem semper meditare, imagine scilicet ista mortis veram mortem efugias. Nam quod Christus fecisse dicitur, ut mortem superaret, id profecto ad nos omnes pertinet: morte vitiorum mors superanda est, & immortalitas consequenda. Nam boni & Sancti viri (ne fallare) nunquam moriuntur, ne tum quidem cum maxime creduntur mori. Audi Christum dicentem. Qui credit in me, mortem non videbit in æternum. Id quod verum est non solum quia in Christum credentes pii & justi homines, cum ab hac vita decedunt, vivunt vitam meliorem, sed quia mortis malum non sentiunt, idcirco nullo tempore, nulla ætate moriuntur. Nam quoniam mors nihil nisi animi è corpore discessio quædam est, & sensuum extinctio, illi solum ut mortis malum sentiant necesse est, qui omnia sua studia, cogitationes, felicitatem omnem in corpore, corporeisque sensibus qui morte extinguntur, potuerunt. Bonis vero, & à corporis contagione semotis, affectibusque vacuis, & ad cœlum semper cœlestiaque dona aspirantibus hominibus quid eripiat mors cum advenerit? Opesne?

quas

quas boni viri aut contemnunt, aut præter dispensandi molestiam ex eis nihil percipiunt. An voluptates? Quibuscum & perpetuum inexpiabile bellum gerunt? An gloriam popularem? Qui tota sua vita solitudines hominum & secessus sequuntur? Dolebit credo vir justus sibi eripi aurium oculorum sensum, qui his sensibus nihil nisi grave, & acerbum in vita hausit? Qui præter piorum hominum supplicia, innocentium vexationes, sceleratorum felicitatem, cognatorum & amicorum funera, cædes, exilia, denique fortunæ ludibria nihil vidit? Aut ægre feret se tangendi facultate carere, quæ manens ut suspecta omnia & insidiis plena sint facit, amissa maxima animum solicitudine liberat? Qui se constrictum corporis vinculo molestissima & artissima custodia teneri intelligit, is mœrebit exsolutus à corpore? Itaque mortis malum in nostris vitiis est, non in ipsa morte. Verissime enim dixit Apostolus stimulus mortis peccatum est. Inde enim vires mors sumit, hoc uno telo armatur, hoc terret, hoc pungit, fodit, cruentat, transverberat humana pectora. Quo detracto quid mali habet præter nomen, aut ne nomen quidem? Siquidem priorum hominum mors, non tam mors appellanda est, quam ab infinitis miseriis liberatio, à molestissimis vinculis exsolutio, domicilii translatio, vitæ deterioris infelicissimæ commutatio, à labore ad quietem, à dolore ad voluptatem, à mœrore ad gaudium, ad pacem, amœnitatem, ad dulcedinem, à vitio censenda. Possent hoc confirmare multis exemplis, sed nulla magis quam quæ oculis subjecta sunt, movent.

An vos, viri sapientissimi, hunc cujus nunc funeris exequias celebramus, Dominicum Sotum optimum & sapientissimum virum obiisse potius, quam abiisse, vitam finivisse, quam in meliorem commutavisse censetis? Qui puer, qui adolescens, qui vir,

qui ad usque ultimam & postremam ætatem factus senex nihil aliud quam decus, quam honestatem, atque Christum spectans cœlestia bona adamaverit? Cujus laus viget, bene acta vita laudatur, sapientia instar miraculi est, is extinctus creditur? Nisi forte illum tam dementem fuisse putamus, qui, cum exacta ætate pedum doloribus confectus in lecto jacens vivebat, eam vitam quam domi inclusus agebat, & ex qua præter sensum doloris nullum fructum capiebat, suam potius duceret, quam illam, quam apud homines, bonorum & doctorum omnium cœtus fama sapientiæ, & scriptorum celebritate vivebat? Illa illa potius bonorum & sapientum hominum vita censenda est, quam illustribus factis insignem omnis memoria repetit, omnia sæcula intuentur, quam diuturnitas alit; quæque per animos omnium atque ora pervagatur. Quamobrem non est cur te Sote, interiisse putemus. Vives enim quandiu homines erunt in eorum mentibus atque sermonibus, nulloque unquam aut loco, aut tempore deerunt quamplurimi, qui prædicent in nobilissima & summorum ingeniorum feracissima Urbe Segovia natum, non magis Patriam tibi, quam te tuæ Patriæ honori atque ornamento fuisse; te statim à prima ætate, quamvis magnis rerum difficultatibus & angustiis præmererere, tamen nihil humile aut sordidum-sed honesta omnia & excelsa cogitavisse. Complutum abiisse, inque nobilissima illa Academia studiorum tuorum rudimenta posuisse, magnos brevi tempore magna hominum admiratione progresus in Philosophiæ studio fecisse: totam eam, quæ ea ætate vigebat (spinosam eam quidem & inutilem, sed tamen perobscuram & perdificilem) disserendi rationem, omnes laqueos, omnia rationum diverticula, flexus, ambages, laberinthos omnes, omnes adversarium eludendi & illaqueandi rationes tanquam tuos

digitos notasse, & perceptas habuisse. Quod eæ artes haberentur in prætio illius ætatis culpam fuisse, tui autem ingenii atque industriæ, quæ ars ab hominibus probaretur in ea abs te arte omnes homines superatos esse. Eumdem te majora, atque meliora discendi studio Lutetiam Parisiorum profectum, Urbes longinquas, externa loca & peregrina adhibisse; quandiu didicisse te non pœnituit, tandiu in his locis moram traxisse. Nullum tamen interea in juvenili illa tua ætate (quæ lubrica semper & plena periculis esse solet) libidinis, aut licentiæ vestigium, nullum non modo turpe factum, sed ne verbum quidem insolens apparuisse, virtute omnem culpam, felicitate etiam culpæ famam & suspicionem vitavisse. Atque, cum hæc dicent, tum profecto illud silebunt, numquam te jam virum cum fama nominis, & spectatione tui omnes implevisses; aditumque tibi tua doctrina ad summos honores, dignitatem, præmia patefecisses, eaque tibi parata jam non solum debita omnes viderent (non ut plerique aut ætatis errore, aut suarum rerum desperatione, sed gravi maturoque judicio instituti Divi Dominici & litteris & religioni clarissimi Monachum factum, Christumque imitantem, omnia sprevisse, contempsisse, abjecisse: te id quidem ex animo, & bona fide fecisse. Cæterum quod virtutis est proprium, majores te honores atque præmia fugiendo, quam quisquam alius appetendo & insequendo consequeretur, consecutum esse. Te, inquam, solitudines & secessum sectantem tuorum hominum imperio in hujus Academiæ lucem productum omnibus studiosæ juventutis suffragiis, magnisque & honestissimis propositis præmiis, ut Theologiam publice doceres adductum, per continuos viginti annos docendo, disserendo, scribendo, ingens sapientiæ lumen tuis sermonibus inferendo efecisse, ut nullus te

aut sapientior aut major toto in christiano orbe tua ætate haberetur. Plura te unum quam omnes, meliora quam qui optime scripserint, scripta edidisse. Nihil in tota philosophia, totaque Theologia, aut tam reconditum, aut tam obscurum, quod non ingenio inventum & pervestigatum tuo eduxeris in lucem fuisse. Te obscuris lumen, implicatis solutionem, jejunis ubertatem, ingratis gratiam, novitatem vetustis, minutis gravitatem, atque pondus dedisse. Complutensem Academiam, quæ te aluit, Salmanticensem, quæ te per tot annos cum admiratione doctrinæ quanta nullum alium audivit, urbem Tridentinam, quæ te in publico atque magno totius Christiani orbis conventu de rebus dubiis & difficilibus incredibili sapientia dicentem admirata est: Cæsarem, qui te sibi à sacris secretis voluit esse: denique Italiam, Galias, Hispaniam, Germanias testes tuæ non solum sapientiæ sed virtutis etiam & religionis fuisse. Te justissimum, te religiosissimum, te temperantissimum incredibili gravitate, integritate, prudentia, fortitudine præditum, nulli unquam, aut vitio succubuisse, aut voluptate hominis minus justæ cesisse: omnia te ex æquo & bono; nihil gratiæ causa, aut dixisse aut sensisse, veritatis dicendæ atque tuendæ, quam regum favorem mendaciis (ut nunc fit) & assentatione promerendi studium tibi antiquius fuisse: cumque nullius hominis cupiditati servitutem servires, obstares sæpe potius & adversarere quamplurimis, tamen & à Rege & à regni proceribus, omnes prope semper majores causas ad tuum judicium, arbitrium, consilium delatas fuisse; tuæ illos virtuti magna præmia obtulisse: à te majori virtute spreta illa semper & repudiata fuisse. Hæc inquam, atque alia de te Sote, posteri omnes memoria repetent, cumque repetent, nos misserrimos fuisse dicent, qui te amissimus. Quam-

quam magna ex parte tuis te in scriptis habemus. Te autem felicem, atque beatum, qui homo natus, id est, miser, imbecillus, cæcus, injustus, caput supra humanam conditionem extulisti. Qui te virtuti, qui laudi, qui gloriæ, qui æternitati, non aut somno, aut innanissimis voluptatibus tradidisti; quique illo ipso vitæ tuæ extremo tempore ita te gessisti, ut neque morborum diuturnitas, nec tædium nec jugis dolor efecerit; ut timoris signum aliquod, aut ægre è vita abeuntis animi proderes, ut non ad mortem trudi, sed placidissima potius quiete solvi coelumque petere viderere. Itaque viri sapientissimi, nos miseri, ille & beatus & felix, vel quia ita vixit, vel quia eam sui nominis gloriam moriens reliquit, vel certe quia Cœlum jam cœlestemque vitam consecutus est.